



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jacobi Alvarez de Paz Opera

De Exterminatione Mali, Et Promotione boni - Libri quinque

Álvarez de Paz, Jacobo

Lvgdvni, 1613

Pars III. de Obedientia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77843](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77843)



PARS TERTIA DE OBEDIENTIA.

VITAM religiosam holocaustum esse perfectum, quo homo seipsum in honorem Dei igne charitatis absunit, ex his que hactenus dicta sunt manifestum, & nemo, qui huius vite aliquam cognitionem habet, in dubium adducit. Ligna ad sacrificium cremandum, sunt opera religiosa secundum prescriptum regula ordinatè disposita; ignis, est amor ab his operibus frigus sordidæ pellens, & splendore sancti feruoris adiciens; animal autem offerendum, est ipse homo, simul sacerdos, & hostia, qui & seipsum offert, & suis operibus, & suo amore succensus adurit. Paupertate consecrat Deo bona, qua habet: Castitate immolat corpus, quod possidet: Obedientia vero offert mentem, qua holocaustum omnino perficit, quia iam nihil extra oblationem omittit. De Obedientia igitur postrema ac perfectissima parte huius holocausti nunc agendum est: non quidem de illa generali qua quisq; homo ipso nature iure astrictus est principibus, & superioribus reipublica parere, sed de illa qua quisq; vitam religiosam proficiens sponte sua, eriorè eligit, cuius ductu in omnibus gubernetur atque regatur. Hæc est illud holocaustum, quod gratum esse Domino desideramus, cum bellum aduersus vitia nostra, scilicet inuisibiles hostes, incipimus. Quorum propositum laude dignum aspiciet: Ecclesia mater nostra, deprecatur nobis bona ore Dauidis inter alia dicens: Memor sit Dominus omnis sacrificij tui, & holocaustum tuum pingue fiat. Audiat autem ipse benignus pater tante matris desideria: & cum ei ex sincero corde paupertatem & castitatem non promissione tantum sed actione quoque offerimus, gratum sacrificium habet; cum vero Obedientiam adiungimus, & prepositis obedimus, quasi in holocausto pinguisimo sibi complacet. Merito igitur nos, qui in his lucubrationibus rationem ac viam ascendendi ad montem perfectionis, & nos Deo in modum holocausti offerendi tradimus, hoc volumen super illud: Declina à malo, & fac bonum, Obedientie tractatione concludimus, ut videlicet compertum sit nobis, spirituales virum, vna obedientia malum omne vitare, & bonum perficere, & se perfectissime Deo in holocaustum offerre. Sed iam committamus vela ventis, & hanc postremam partem vite illius vite, qua in actione consistit fauentibus superis inchoemus. Tu Domine qui imbecillum in te sperantium es fidelis adiutor, tempera stylum meum, ut de Obedientia digna loquar, & roboram multo magis brachium meum, ut Obedientie opera semper exerceam. *AMEN.*

Pf. 19. 4.

In quo posita sit Obedientie substantia.

CAPVT I.

HOMO ad aternitatem conditus, & ad beatitudinem procreatus, obedientiam in adiutricem accepit, qua sola posset in aeternum viuere, & finem, ad quem destinatus fuerat, obtinere. Hinc prima vox Dei, qua post creationem hominis in auribus eius insonuit, præceptum fuit, cuius impletionem ad obedientiam pertinere certum est. Facto enim homine, & in paradiso voluptatis collocato, præcepit ei Dominus, dicens: Ex omni ligno paradisi comede: de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas, in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris. Vno tantum præcepto, & illo satis facili, hominem Deus à se creatum obstrinxit. Vno, ne legum multitudine premeretur, facili, ne mandati difficultatem causaretur, & ut si peccaret, posteris omnibus appareret, quanta fuerit iniquitas in peccando, ait Augustinus, ubi tanta erat non peccandi facilitas. Mandatum autem homini positum est rei non per se malæ, aut alicui noxiæ, sed quam sola lex vetans malam faciebat, ut ille intelligeret solam ab eo obedientiam exigi, solum veltigal subiectionis requiri. Neque enim arbor illa scientiæ boni & mali aliquo veneno erat infecta, ac propterea timeretur, ut homo ex eius fructu comedens interiret. Neque etiam alteri homini (qui nondum erat) in possessionem data fuerat, ut ex oblatione fructus ab Adamo facta aliquod detrimenti sentiret. Sed eius fructus arboris bonæ, & cum aliis arboribus parenti nostro traditæ interdictus est, quo sci-

Aret non ad necessitatem, nec ad consulendum damno alterius, sed tantum ad obedientie exhibitionem sibi huiusmodi mandatum imponi. Vel si sub hac verborum serie obedientie declaratrice triplex præceptum latuit, ut putauit Rupertus Abbas, fidei, spei, & charitatis, hoc quod dicimus magis enitet. Charitas præcepta est illis verbis: Ex omni ligno paradisi comede. Nam cur non Deus charitatem ab homine exigat, in hoc, quod illud à se ex nihilo factum tantis muneribus cumulauit? Spes illis: De ligno scientiæ boni & mali ne comedas. Homo enim præceptum audiens, sperare debuit, ut qui sibi onus imposuit, præmium sustentari fideliter oneris, aliquando sustinenti conferret. Fides illis: In quocumque die comederis, morte morieris. Credere namq; debuit protoparens noster, verba Dei esse veracia, futurumque esse, ut si ipse inobediens existeret, mortem sine villo remedio gustaret. Quas tres virtutes commutato ordine à nobis requirit Deus, ut sicut ille cecidendo descendit, ita & nos à fide ad spem, & ab spe ad charitatem resurgamus. Claret, inquam, obedientiam esse hominis adiutricem. Nam intellectus eius fidei præcepto constringitur, & appetitus spei mandato deuincitur, & voluntas lege charitatis ligatur, ut sciret se his sanctæ obedientie vinculis ad beatitudinem obtinendam solui, vel tantum à malo, quod ei impedimento assequendæ felicitatis esse poterat, non verò à bono virtutis impediri. Ex his autem quæ in facto textu sequuntur, aperte datur intelligi, adiutricem assequendæ felicitatis obedientie esse virtutem. Post latum enim hoc præceptum, Eva adiutrix Adæ creata est, quemadmodum series ipsa narrationis aperit, & Augustinus sentit, ut videlicet in ea adiutorium non solum vite politicæ, & procreandæ sobolis, sed & fer-

Rupert. li. 2. de operibus Tri. nit. c. 31. Gen. 2. 16.

n. 17.

Aug. 8. de Genes. ad lit. c. 17.

vandæ sibi impostæ legis haberet, quam ipse cõpari denuntiaret. Postea etiam orbis dominus constitutus est, & ad illum omnia animalia in signum subiectionis adducta, vt videlicet agnosceret se præceptum obedientiæ percepisse, non vt more mancipiorum seruiret, sed vt subiiciens se per obedientiam Domino, dominus & rex fieret, ac omnibus imperaret.

Sed quare obedientia homini potius quam aliæ virtutes adiutrix data est? Ideo profecto, quia obedientia omnis virtus cõtinetur, & omne bonum, quo ad patriam cõlestem ascendimus, generatur. Aliæ namque virtutes in vna materia se cõtinent, & in illa tantum suas actiones exercent. Prudẽtia media apta ad finem consequendum inquiri, iustitia vnicuique ius suum tribuit, obseruantia reuerentiã maioribus, pietas officia paritibus impertit. Fortitudo in periculis sustinentia versatur, patientia in malis & aduersis fortis ostenditur, abstinentia modum in cibis, sobrietas in potibus, castitas in Venereis, paupertas in contemptu rerum temporalium ponit. Et sic quæcũque alia virtus quasi terminum suæ iurisdictionis habet, vltra quem haudquaquam suam potestatem extendit. Ac ideo si virtutes non in omni perfectione sumamus, secundum quam dicuntur esse connexæ, aliquem iustum & non fortem, aut fortem, & nõ abstinentem, aut abstinentem & non sobrium, aut sobrium & non castum inuenimus. At obedientia in sua latitudine accepta ceu regina potens omnes materias vniuersarum virtutum peragatur. Prudensq; ex obedientia prudenter agit, & iustus, aut fortis ex obedientia iuste aut fortiter se habet, & sobrius aut temperatus, aut castus ex obedientia sobriè, temperatè ac castè se gerit. Et qui imprudentia aut iniustitia aut alio vitio peccat, ideo delinquit, quia præcepta transgreditur, ac ideo quia à mandatorum obedientia separatur. Merito proinde quidam ad hanc virtutem illud Prouerbiorum applicuit: Multæ filix congregauerunt diuitias, tu supergressa es vniuersas, quoniam alia Dei filix, nempe alia virtutes in sua propria cuiusque materia opes meritorum congregant, obedientia verò opes in omni materia in omnique actione coaceruat. Obedientia concordiam seruat in Angelis, vnitatem tribuit Ecclesiis, pacem constituit in cõnobis, tranquillitatem facit in regnis, in rebus publicis & familiis, & quicumque excessus, quæcumque exorbitatio à lege in istis conspicitur, ex obedientiæ defectu progreditur. Hanc brutis vis naturæ inseruit, inanimatis præbuit, hac terrenis cõlestia, & humanis diuina religauit, sine qua nihil omnino pacatum ordinatumque consistit. Hac tanquam scala firmissima fit hominis ascensus in cõelum; hac à se ipso ascendit, ad perfectionem accedit, ac Deo se ac cõlestibus spiritibus inserit. Hac est quadriga qua Elias est à mortalium cõtu sublatus, & ad superas sedes euectus. Hac paupertatem fouet, castitatem perficit, virtutes reliquas viger, ne segnes vacent, & in suorum operum labore torpescant. Hac denique est, quæ vt fidelissima comes, & solertissima adiutrix viro iusto adstat, vt viam salutis currere incipiat, vt in ea progressus faciat, & vt feliciter ad finem optatum sanctitatis perueniat.

Obedientiam status religiosus, qui pro posse vitam cõlestem æmulat, in primis charam habet, & velut matrem reliquorum bonorum, quorũ est ferax, illis omnibus anteponit. Cuius ratione assignat Thomas Aquinas in hunc modum. Inter hæc autẽ tria, quæ ad religionis statum diximus pertinere, præcipuũ est obedientiæ votum, quod quidẽ multipliciter apparet. Primò quidem, quia per obedientiæ votũ homo Deo propriam voluntatẽ offert: per votum autem conti-

nentiæ, offert ei sacrificiũ de proprio corpore. Per votum verò paupertatis offert de exterioribus rebus. Sicut ergo inter bona hominis corpus præfertur exterioribus rebus, & anima corpori, ita votum continentiæ, voto paupertatis præfertur, votũ autẽ obedientiæ vtrique. Secundò, quia propter propriã voluntatẽ homo & exterioribus rebus vitur & proprio corpore. Sic igitur qui propriam voluntatẽ dat, totum dedisse videtur. Vniuersalius est igitur obedientiæ votũ, quàm continentiæ, & paupertatis; & quodammodo includit vtrumq;. Sic ille. Nec moueat quòd ille de obedientiæ voto, non de sola obedientiæ virtute loquitur. Votũ enim ad stabiliendam virtutẽ est, & ob id duobus aliis votis religiosis præfertur, quia de nobilioris virtutis actibus nuncupatur. Alio verò loco vberius hoc idem tractans idem sanctus Doctor ait, ideo etiam obedientiã paupertati & castitati præponi, quia hæc obedientia continentur præcipiente ne propriũ habeamus, & ne corpus aut mentem impunitis actibus, aut cogitationibus, aut desideris in quiescimus. Insuper quia obedientia se ad actiones extendit, religionis fini propinquiores: & ad eas quæ Deum immediatius attingunt. Quare obedientia est perfectio illa, quæ statum religiosum in suo esse constituit. Nã si quis paupertatem & castitatem profiteatur, seu voto completatur, si obedientiam spontaneam voto non suscipiat, statum religiosum non habebit. Hanc itaque virtutem nos religiosi tanquam præcipuã amplectimur, quia ad reliquas virtutes etiã Theologicas exercendas permouemur. Nam credere in Deum, & ab eo bona aeterna sperare, & illum super omnia diligere, obedientia est, quia hæc eo ipso quòd sub præceptum cadunt, non possunt ab obedientiæ splendore secerni. Nec ideo inter se putamus virtutes esse cõfusas, quia sicut in actionibus humanis quam vnus facit, alius imperat, & alius consulit, aut velut rationi consonam faciendam esse decernit: sic in studiosis operibus, quod charitas elicit, instante præcepto diligendi obedientia iubet, & hac ratione suam amplitudinem ad actiones vniuersarum virtutum extendit. Quam ergo virtutem præcipuã in nostro statu, & velut reginã agnoscimus, licet ad finẽ huius voluminis properantes, non minori diligentia tractemus, & quid ipsa sit, prius à definitione eius incipientes inquitamus.

Variis modis Patres obedientiæ naturam exposuerunt. Basilus sic: Vera perfectiõque subiectorum aduersus moderatorem ordinis obedientia in eo cernitur, si quis ex eius consilio non rebus modò flagitiosis abstineat, sed si ne ea quidẽ, quæ laudabilia sunt, sine sententia illius faciat. Thomas Aquinas sic. Obedientia est, quæ promptam reddit hominis voluntatem ad implendam voluntatem præipientis. Albertus magnus sic. Obedientia ad vicarios Christi, scilicet ad prælatos, est, cum subditus quod sibi maximè contrarium est, fideliter & libenter exequitur, nunquam manifestans signo vel facto, quod sibi contrarium sit præceptum. Ioannes Climacus pro suo more eam luculentius ita describit: Obedientiã est animæ propriæ perfecta abnegatio, per corpus certius ostensa. Aut fortè versã vice: Obedientia est inexaminitas atque indiscussus motus, spontanea mors, vita curiositate carens, securum periculum, immediata ad Deum exortatio, metus mortis contemptio, tuta nauigatio, confectum dormiendũ iter. Obedientia est sepulchrũ voluntatis, & excitatio humilitatis: nihil resistit, nihil discernit, mortuus in bonis, aut in his, quæ videtur mala. Nam qui piẽ animam suam mortificauerit, securus pro omnibus rationem reddet. Obedientia est discretionis depositio inter diuitias discretionis. His vtrumque natura obe-

dientiã

Prou. 31.
29.

4. Reg. 2.
11.

D. Thom.
opus. 18.
c. 11.

2. 2. qu.
182. ar.
2.

Basil. ser.
de instit.
monach.

D. Tho.
2. 2. qu.
104. ar.
2. ad 3.
Albert.
in para.
diso an.
ma. c. 3.
Climac.
grad. 4.

dientia virtutis exponitur, sed nos ad nostrum propositum eam quatenus vobum etiam comprehendit, exponamus.

Est igitur religiosa obedientia, inferioris ad superiorem propter Deum voluntaria subiectio, quam vobum stabilivit atque firmavit. Est, inquam, subiectio, ut ille qui recalcitrando & contradicendo preceptis Dei innocentiam perdidit, subiiciendo se Deo & homini propter Deum ad pristinam iustitiae & innocentiae participationem revertatur. Est subiectio, ut per hanc inferior superiori tamquam caelo colligatus, ab eius imperio, (quod imperium Dei est, si bona praecipiantur) salutarem influxum, quo in bono promoveatur, accipiat. Est subiectio, ut qui superbiendo cecidit, se coram alio non superioris naturae deiciendo resurgat. Atque etiam est subiectio spontanea siue voluntaria, quia in exordio suo non a natura processit, sed a propria se subicientis voluntate manavit. Quaedam enim subiectio a natura manat, illa scilicet qua effectus causae subiicitur, qualemque nos & omnia habent erga Deum, qui causa omnium reru creatarum existit. Nam, & nunc Domine pater noster es tu, nos vero lutum: & fictor noster es tu, & opera inanuum tuarum omnes nos.] Et quia ipse est Dominus Deus noster, nos autem populus eius, & oves manus eius.] Quid autem aequius aut naturalius, quam ut effectus, qui totum esse a causa habet, ab eo etiam motum & actionum directionem accipiat? Hoc etiam modo subsunt filij parentibus, a quibus ut notum est, esse & vitam accipiunt. Immo & subsunt fideles omnes Pontifici summo & praelatis Ecclesiasticis: Nam Deus omnium opifex his tamquam vicariis suis per Christu filium suum imperandi in spiritualibus potestatem attribuit. Quae ex eo quod divina est, id est, a Deo ipso immediate procedens, naturalis, hoc est, ab ipsa natura dictata & instituta esse non desinit. Alia vero subiectio a iure gentium, immo & paulo mediatis ab ipsa natura provenit. Eo enim ipso quod sunt res publicae constitutae, capita habentes, & ex hominibus tamquam ex partibus compositae, sequitur, ut ipsa natura dicente singuli homines partes scilicet suo toti subsint, & membra capiti obtemperent. Et hac ratione civis subiicitur Principi & aliis senatoribus atque iudicibus, in quos a republica & principe auctoritas gubernandi descendit. Alia tandem est subiectio a propria alicuius voluntate procedens, qui cum sit iuris & arbitrij sui, potest quasi iure suo cedere, & alteri in se potestatem dare. Quo pacto valet unusquisque tradere se alteri in seruum vel famulum, vel promissione aliqua se obsequio ac seruituti eius addicere. Haec autem subiectio ad religiosam obedientiam pertinet. Ego enim, qui liber & mei iuris eram, volui non coactus sed libens ad maius meritum, & ad maiorem securitatem aeternae salutis, me praelato subiicere, & ad hanc subiectioem voto ligari atque constringi. Dicitur est autem, subiectioem hanc in suo exordio a voluntate pendere, quoniam ex quo quisque libere vitam religiosam professus est, & se praelato voti pollicitatione subiicit, non est liberum sed obligatione debitum alterius ductu vivere, nec praelati iussis contraire. Iam haec subiectio quasi naturalis, & divina est, a Deo per summum Pontificem statum religiosum instituentem manans, & praelatis eius iubendi auctoritatem impertiens. Iam quasi gentium iure instituta est. Nam ex eo quod in Ecclesia sunt congregationes religiosae quasi res publicae quaedam ad Dei cultum & vitae perfectionem specialius institutae, sequitur ut quisque religiosus ad religionem ut ad totum, & ad praelatum ut ad caput comparetur. Ac proinde

A debet sicut & in ceteris rebus publicis toti subsistere & a capite auctoritatem habente gubernari.

Ex hoc autem patet cuius hanc subiectio sit & cui ipsa debeat. Est enim inferioris qui patet & obedit: ex quo prospicitur obedientiae pulchritudo & aequitas. nihil enim pulchrius & rectius quam ut inferiora a superioribus pendeant, & eorum ductu atque imperio regantur. Et sicut esset praeposterum & simile monstro si caput hominis reperet, & pedes sursum tollerentur, & vellent capiti praesse, illudque dirigere; ita contra naturam & bonos mores esset, si inferior nollet parere, & a superiore gubernari. Est superior qui praecipit, ex quo suavitas & discretio obedientiae elucet. Dedit enim Deus nobis visibilibus, praelatum visibilem multis annis in caenobio educatum, notitia legum & iuris nostri sufficienter instructum, a quo possumus prudenter dirigi, cuique valeamus, sine salutis discrimine nos ac nostra committi. Est obiectum huius subiectioem siue materia circa quam versatur praecipitum impositum, cui cum nos propter Deum subiecerimus, nihil Deo contrarium contineat necesse est. Nam si aliquid Deo displicens & suis iussis contrarium contineret, iam non praecipitum esset, nec nos villo modo constringeret. Quare Gregorius ait: Obedientia non seruilis metu, sed charitatis affectu seruanda est, non timore poenae sed amore iustitiae. Duobus autem modis praelati nos dirigant: primo, iussis atque praecipit; secundo, monitis & adhortationibus, & ostensione eorum quae recta sunt, & propriae manifestatione voluntatis. Ad vtrumque autem se obedientia modum extendit, licet diuersa ratione. Nam si praelatus iubeat & praecipitum irgeat, non obedire iuxta qualitatem praecipit, peccatum erit, graue quidem, si praecipit res grauis & alicuius momenti; leue vero, si iubeatur res leuis & contemptus desit. At si non iubeat, sed aut horretur, aut suadeat, aut voluntatem suam verbis aut nutu ostendat, non obedire, sed cluso scandalo & contemptu, peccatum non erit; sed manifeste magna imperfectio, & obseruantiae defectus, & confusio ordinis erit. Sicut enim esset malus seruus, & intolerabilis vxor, & imperfectus Christianus, qui expectarent praecipitum Domini, aut mariti, aut Ecclesiae, & nihil, non stricte praecipitum, vellent facere: ita imperfectissimus esset Religiosus, qui nihil sine praecipito vellent efficere. Sed de hoc inferius sumus dicturi. Hanc igitur obedientiam quoad leges praecipientes, & quoad mandata praelatorum voto stabilimus atque firmamus, ut sic religiosi, & in statu perfectionis constituamur, qui cum stabilitatem habeant, non potest nostrae voluntati relinqui, & pro humana leuitate mutari. Mutaretur autem facile si subiectio nostra ad praelatum ex sola nostra voluntate penderet, quia hodie vellemus obedire, & cras nostri iuris esse, & a voto & promissione non stabilitatem acciperet. Et haec subiectio voto firmata, est obedientia religiosa, in qua praecipuus religionis ordo splendorque consistit, & sine qua aut voto aut alio modo stabiliter custodita, nullius familiaris religiosae nulliusque congregationis posset recta gubernatio seruari. Vnde Beatissimus Pater noster Ignatius haec ad huius virtutis commendationem scripta reliquit: Nimirum hoc modo prouidentia illa divina disponit omnia suaviter, infima per media, media per summa, suos ad fines cuncti perducens. Hinc illa videlicet in Angelis vniuersae Hierarchiae ad aliam subordinata series; hinc, & caelestium, & aliorum omnium, quae continentur, corporum, certis locis ac sedibus, inter sese apta

Isaia. 64. 8.

Pf. 94. 7.

Greg. 12 mor. c.

Ign. in ep. obe. n. 20.



connexio, quorum conuersiones ac motus ab vno mouente supremo gradatim omnes vsq; ad infimos rite proueniunt. Idem in terris, cum in omni ciuitate bonis instituta legibus, tum vero in Hierarchia Ecclesiastica cernitur, cuius omnia membra & functiones ab vno generali Christi Domini nostri vicario deriuantur, & quo accuratius hæc dispositio, & collocatio custoditur, eo rectior est gubernatio, & melior: contra vero huius ordinis negligentia, quam grauius incommoda multis hominum societatibus importetur, nemo non videt. Hæc ille.] Nec nobis omitenda est rationis obedientie exquisita cognitio, quæ in hoc postremo sita est, vt iniuncta ex eo quod præcipiuntur faciamus. Si enim quis præceptis obediat, nõ expressè vt obediat, sed vt virtutis actus eliciat, obedientiam quandam habet generalem legis obseruatione contentam, & actus virtutis quam exercet, puta temperantia, aut iustitia, aut cuiuspiam alterius præstabit. At si quis præcepta impleat, expressè ea ratione quia à Deo vel superiori præcepta sunt, tunc actum obedientie specialis virtutis eliciet, quia rationem quandam honesti specialis operi addit, vt scilicet fiat, quia ex præcepto debitu est. Hæc est natura obedientie quasi scholastico modo tractata, cuius radicem, necessitatem, præstantiam, gradus, præmia, & media nunc iuxta consuetudinem exponemus, vt huic volumini postremam manum imponamus.

Quæ sit radix Obedientie.

CAPVT II.



Hæc obligatio superioribus obediendi, altiores radices habet, quam cuiquam fortassis videatur. Qui enim hanc obligationem ex eo oriri putauerit, quod votum obedientie nuncupauit, debet que stare promissis: aut ex eo quod pars est cõgregationis, debetque capiti subiacere, veritatem quidem attingit, sed nondum ad fundamentum ac radicem obedientie peruenit. Habet enim hæc virtus fundamentum solidissimum, & radicem profundissimam, quam si exquisierimus, & nobis miram voluptatem obedientibus afferet, & omnem difficultatē ab obedientia depellet. Radix igitur aut causa præcipua obedientie est, quod prælatus vices Christi gerit, quod in prælato Christus iubet, & dum obediunt, non tam homini quam Deo ipsi subiicimur. O mira obedientie perfectionem! O magnam obedientium felicitatem, quia Deo in homine parent, & ipsi Christo Dei filio cui omnia subiecta sunt, se ipsos suaq; subiiciunt. Et sicut his qui in misericordie operibus instituti sunt, dicitur est, Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis,] ita & obedientibus potiore ratione dicitur: Quando obedientiam præstitistis prælatis vestris, mihi obedistis. Potiori quidem ratione, quoniam magna fide videtur procedere, Deum in prælatis intueri, & quasi vocem eius ab ore prælatis procedentem audire.

Matth. 25.40.

Deut. 11. 26. 27. 28.

Igitur prosequamur hæc tria, vt magnas, quas habemus, obedientie causas, videamus. Prælatus vices Dei gerit, & loco Dei constitutus est, vt nobis salutaria præcipiat. Salus ac vita nostra est obedire Deo, & eius facere voluntatem, perditio autem nostra præceptis eius reluctari. Nam & scriptu est: En propono in conspectu vestro hodie benedictionem & maledictionem: benedictionem, si obediueritis mandatis Domini Dei vestri, quæ ego hodie præcipio vobis: maledictionem, si non obediueritis mandatis Domini Dei vestri, sed recesseritis de via, quam ego nunc ostendo vobis.] Quia verò Deus inuisibilis est, nos au-

tem visibiles, nec decebat, vt nobis semper inuisibiliter loqueretur, & specialia mandata seruanda proponeret, aliquos homines similes nobis elegit, per quorum os nobis loqueretur, & à quibus quid ipse vellet, possemus addiscere. Hi autē sunt principes atque prælati, quibus dixit Christus: Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit: Qui autē me spernit, spernit eum qui misit me.] Et haud dubie, sicut qui contemnit Christum, contemnit & patrem, à quo missus est, ita & qui audit Christum, audit & patrem. Qui igitur audit prælatos, cum audiat in eis Christum, audit & patrem, & in prælatis, iussionibus patris obedit. Hæc namque verba nõ ad discipulos tantum Domini sed ad omnes prælatos fuisse directa, constans omnium Catholicorum sententia est. Idque manifestè docet Clemens Papa primus ad omnes Episcopos & presbyteros, & clericos, sic scribens: Vestrum enim quia legatione Domini fungimini, est docere populos: eorum verò est, vobis obedire, vt Deo. Si autem vobis Episcopis non obediuerint omnes presbyteri, diaconi, ac subdiaconi, & reliqui clerici, omnēsque principes, tam maioris ordinis, quam inferioris, atque reliqui populi, tribus & lingua, nõ obtemperauerint, non solum infames, sed & extores à regno Dei, & consortio fidelium, ac à liminibus sanctæ Dei Ecclesie alieni erunt. Nam vestrum est, eos instruere, eorum est, vobis obedire, vt Deo, cuius legatio hæc fungimini, dicente Domino: Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit. Et qui vos recipit, me recipit: & qui me recipit, recipit eum qui me misit.] Nihil enim iniustius, vel inhonestius est, quam filios patris rebelles, aut clericos, vel laicos doctoribus, seu discipulos magistris inobediētes, vel proteruos existere. Sic ille.] Neque iniuste verba prædicta Domini de omnibus prælatis accipienda sunt, siquidē in illis similis atque in discipulis Domini est docendi & iubendi potestas. Illudque quod Ezechiel à Domino sibi reuelatum audiuit: Domus Israel nolit audire te, quia nolunt audire me,] & omnes prælati audiunt: Inobediētes, & proterui nolunt audire vos, quia nolunt audire me. Si enim me vellēt audire, meiq; iussis obtemperare, utiq; & vos loquentes audirent, & vobis præcipientibus obedirent, quia ego in ipsis tanquam in meis vicariis doceo & iubeo.

Luc. 10. 16.

Clemens epist. 3.

Luc. 10. 16.

Olim, vt Paulus ait, loquutus est Dominus per prophetas, in initio vero Euangelice legis loquutus est nobis in filio quē constituit heredem vniuersorum, per quem fecit & sæcula.] Et Ioannes: Vnigenitus qui est in sinu patris, ipse enarrauit.] At postquam filius Dei ascendit in caelum, docet homines per superiores ac prælatos legitime constitutos. Ipsi personam Dei, & Christi in terris referunt. Quare Basilus ait: Nihil est aliud antistes, quam is qui personam Christi sustinet, & sequester est inter Deum, & homines, eorum qui in ipsius officio sunt, salutē sacrificans Deo. Atque hoc à Christo ipso docemur, dum Petrum Ecclesie suæ pastorem post se constituit. Petre enim, inquit, amas me plus his: pascere oues meas.] Et omnibus deinceps pastoribus ac magistris, eandem tribuit potestatem. Cuius quidem rei signum est, quod omnes similiter atque ille, & ligent, & soluant. Sic ille.] Hoc idem significant multa vtriusque fœderis verba: vt illa Moysi ad filios Israel: Nec contra nos est murmur vestrum sed contra Dominum.] Et tamen illi non de Domino sed de Moyse detraxerant. Sed aduersus Dominum obmurmurat, qui prælati à Domino constituti, eumque referentis, famam proscindit. Et illa Domini ad Samuelem à munere imperandi reiectu: [Non te abiecerunt, sed me, ne regnare super eos.] Illi quidem regem pernicerant, Samuelemque in ordinē redigere tentauerāt. Dominus autē cõqueritur se reiectu quia

Execl. 3. 7.

Hebr. 1. 2.

1. Ion. 1. 18.

Basil. epist. 23.

1. Petri 2. 19.

Exod. 16. 8.

1. Reg. 8. 7.

ipsc

Matth. 23.

Rom. 13.

Irena. lib. 5. c. 24.

Joan. 20.

Athor. 10.

Athor. 9.

Cassian. col. 2. c. 15.

Athor. 8.

Climac. grad. 4.

ipse vice sui prophetā illū gubernatorē ac ducē constituerat. Et rursus illa Saluatoris nostri: Super cathedram Moysi sederūt Scribæ & Pharisei. Omnia ergo quæcumq; dixerint vobis seruate & facite: secundum verò opera eorū nolite facere. Scribæ erāt doctores, Pharisei interdum iudices, & hi licet iniqui audiendi erant. Quare: Quia sedebant in cathedra, Quia nimirum potestatem habebant iubendi, & legem Domini interpretandi: & iniqua vita prælatis auctoritatem iubendi non eleuat, & bene ac secundum Dei legē imperata non inquinat. Illa quoq; verba Pauli: Non est potestas nisi à Deo: quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Ideo itaque prælatis obediendum est, quia potestas eorum non ab ipsis, sed à Deo profecta est: quia quæ sunt potestates super alios in mundo, vt legit & interpretatur Irenæus, à Deo ipso ordinatæ sunt; quia etiam qui potestas sibi eluctatur, nō tantum homini sed Deo quoq; ipsi reluctatur, qui potestatem instituit, & seipsum in homine habente potestatem refert. Nec sumus in hac parte minus felices Apostolis, quia illis Christus per seipsum aliquid præcepit, nobis per homines, immo quodammodo feliciores. Quid enim magnum est, si homo Deo immediatē sibi præcipiēti obediatur: magna fidei iudiciū est, hominē homini propter Deum humiliter obedire, & in homine abiectionē & sibi simili Deum præcipientem agnoscere. Certē Thomæ Christum resuscitatū videntī, ipsūque Deum esse credenti dixit ipse Dominus: Quia vidisti me Thomæ credidisti: beati qui non viderunt, & crediderunt. Idem omnino sibi obediētibus quia immediatē præcipiebat, posse dicere. Quia vidisti me, obedisti mihi: beati qui non me viderunt, & in suis prælatis mihi obediunt.

Homo itaque sub potestate constitutus, nobis non tantum imperat, sed Deo in illo nobis iubet, & nos ad hominē mittit, vt ex eo non tantum hominis, sed & Dei voluntatē cognoscamus, & nō tantum hominis, verum & Dei imperiū exequamur. Voluit Dominus Cornelium ad fidem adducere, & mittit ei Angelum, non qui eum de rebus credendis doceat, sed qui ad Petrum accersendum, à quo doceatur, inducat. Mitte viros in Ioppen, dixit illi Angelus, & accersit Simonem quendam, qui cognominatur Petrus. Hic dicit tibi, quid te oporteat facere. Saulum postea Paulum in Damascum eūtem ad persequēdos discipulos ipse Dominus ad se trahens noluit per se ipsum sed per hominē, scilicet per Ananiam de agēdis erudire. Auditq;: Surge & ingredere ciuitatem, & tibi dicetur tibi, quid te oporteat facere. Mittit & hunc ad seniorē, inquit Cassianus, eūq; illius potius doctrina, quam sua celsit institui, ne scilicet quod rectē gestum fuisset in Paulo, posteris malū præsumptionis præberet exemplum, dum vnusquisq; sibi mer persuaderet, simili modo se quoque debere Dei solius magisterio atq; doctrina potius quam seniorū institutione formari. Similiter & ad eunuchū Candacis reginæ Æthiopiū regrediētē ē Hierosolymis vbi Dominū adorauerat, mittitur Philippus, cui dixit Spiritus sanctus: Accede & adiunge te ad currū istū, in quo nempe Eunuchus iter faciebat legēs Isaiam prophetam, vt locum vatis interpretaretur ei, & per hominē in diuinis mysteriis institueretur. Ad quid hæc: nisi vt testatum sit omnibus Deum in hominibus loqui, in illis nimirum, quos ad docendū & gubernādum elegit, & generaliter hominibus nō per se ipsum, sed per homines imperare. Sciebat id optimē sanctus ille senex ab abbate suo dura & irreuerētī obliuione probatus, qui cum à Ioāne Climaco interrogaretur, quid per vnam horam astans coram abbate prandente, &

A sedente cogitasset, ita respondit: Christi imaginem pastori imposui, neq; enim ab illo hoc penitus præceptū exiisse, sed à Deo existimaui. Quare nō corā me sola hominum, sed coram altari diuino astare me putās orabam. Nullamq; penitus malignam cogitationē aduersum pastore admitterem, pro sincera in illum fide mea & charitate: dictum est enim: Charitas non cogitat malum. Sic nos non oculos tantum mularum habeamus, quæ solū exteriora respiciunt, sed oculos hominum, qui sciunt interiora respicere, & in nuntio ad se misso personam mittentem, & per alium loquentem, intueri.

B Alluescamus ergo homini præcipienti tanquam Christo obedire, & radicem obedientiæ attingemus, magnāq; in obediendo tranquillitate donabimur. Si enim seriō meditemur, nos non tam homini quam Christo obedire, magna erit in mente hoc cogitante læticia; (quis namq; non alacriter obediatur Saluatori suo?) magna in actione facilitas. Si prælato, o religiose, solū vt homini obedias, si illum vt hominē tantum consideres, multis supra quā dici potest, molestiis implicaberis. Statim mille argumenta & rationes emergent, quæ illud, quod præcipitur, imprudenter mandatum esse conuincant. Statim cogitationes tuæ prælatum aut passione motum, aut ira incitatum, aut nimio affectu erga alium victum hæc aut illa præcepisse clamabunt. At si in eo Christum præcipientem inspicias, omnia cessant, & non sine ingenti animi tranquillitate illi te submittes. Hanc obediendi rationem sanctus Bonauentura in tantum exaggerat, vt obedientiam, qua Christo per hominē præcipienti paremus, ei qua ipsi Christo immediatē præcipienti obediemus certa quadam ratione præponat. Vnde postquam dixerat altum gradum obedientiæ esse obedire creatori & redemptori nostro, subdit: Altior videtur gradus obedientiæ quodammodo esse, cū obedimus homini in persona Dei, quæ quasi obediemus ipsi Deo, quia Deo tenemur obedire propter prædicta, sed nō homini tenemur nisi propter Deum. Cū obedimus (inquam) homini perfecto, & discreto, qui omnia cum discretione, & deliberatione imperat. Altissimus autē videtur gradus obedientiæ, cū obedimus homini indiscreto, & discolor, & despecto, in persona Dei, qui multa imperat cū in petu, & sine discretione, & deliberatione. Hæc duplex obedientia, qua homini siue perfecto, siue imperfecto propter Deū, & in persona Dei obedimus, idē altior priori dicitur, quia (vt iā diximus) & maioris fidei, & maioris promptitudinis est iudiciū. Tætæ profectō, vt vbiq; & à quocumq; signū diuinæ voluntatis viderimus, statim promptē & alacriter accurramus. Eadem ex causā Bernardus obedientiā Deo hominiq; delatā parificare nō metuit. Siue Deus, inquit, siue homo vicarius Dei mandatū quodcūq; tradiderit, pari profectō obsequendū est cura, pari reuerētē deferēdū vbi tamē Deo cōtraria nō præcipit homo. Et iterū post multa. Quāobrē quicquid vice Dei præcipit homo, quod nō sit tamē certū displicere Deo, haud secus omnino accipiendū est, quā si præcipiat Deus.

C Quid enim interest vtrū per se, an per suos ministros siue homines, siue Angelos, hominibus innotescat suū placitū Deus? Non alia ratione homini æquē, ac Deo obediendū est, nisi quia Deus in homine præcipit, & quia in homine obedimus Deo. Si enim homini vt homini tantum subiceremur, manifesta esset inter obedientiā Deo delatā hominiq; distantia: nec æquādi essent aut reuerētia, aut obsequij promptitudine illi, qui natura in infinitum distant, & longē differentius ad nos ipsorum placitū & amor spectat.

D Hic obediendi modus, quem radicem obedientiæ

2. 2. 2.

2. 2. 2.

2. 2. 2.

2. 2. 2.

Bonauent. de gradib. virt. c. 2. fo. 1. opus.

Bernard. lib. de praec. & dist. pen. c. 12.



Ephes. 6.
5. 6.

Col. 3. 23

2. Thess. 3.
13.

Psal. 46.
4.

Ier. 2. 7.

Exeek. 3.
8.

Phil. 4.
13.

Pf. 22. 1.

Num. 12.
10.

Num. 16.
31.

Num. 21.
6.

tunc paupimus, altiores ipse, & stabiliore radices habet illis, quas huc usque retulimus. Præscribit quippe illi Paulus non semel sed sæpe, ut magni momenti esse discamus. Ad Ephesios scribens ait. Serui obedite dominis carnalibus cum timore, & tremore, in simplicitate cordis vestri sicut Christo: non ad oculum seruientes quasi hominibus placentes, sed ut serui Christi facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate seruientes sicut Domino, & non hominibus, scientes quod à Domino recipietis retributionem hereditatis, Domino Christo seruite. Christo, inquam, in dominis vestris, quibus obsequium præstatis, seruite. Er ad Thessalonicenses, eos qui non obedientes erant verbo suo excommunicatione iubet percuti, & hoc ideo ut sciamus illos qui prælati non obediunt, Deo ipsi inobedientes esse, ac proinde debere grauissima castigatione mulcari. Meritoque prælatorum vox est per Dauidem: *Sicut fecit Dominus populos nobis, & gentes sub pedibus nostris: quibus sane tanquam hominibus alios homines non subiceret, nisi Christum Filium suum, cui omnia subiecit, non ipsi referrent. Obediamus igitur in superioribus Deo, & hac consideratione pateamus, & mirum in modum in obedientia proficiamus. Nam obedientia sic accepta nos ad faciendum id quod iniungitur roborat. Præcipit enim ille, qui non mandatum solum, sed vires ad exequendum mandatum attribuit. Si pueris & balbutientibus & infirmis onus prædicationis imponatur, non timeant. Dicit enim cuique illorum, quod dixit Ieremie: *Noli dicere, puer sum, quoniam ad omnia quæ mittam te, ibis, & vniuersa quæcunque mandauero tibi, loqueris.* Si pusillanimes ad conuertendas gentes mittat, audient: *Ecce dedi faciem tuam valentioorem faciebis eorum, & frontem tuam durioorem frontibus eorum.* Si difficillima ore prælatorum præcipiat, non se excusent, sed fidenter clament: *Omnia possumus in eo qui nos confortat.* Hac obedientia semper voluntatem Dei facimus, quo nihil felicitius, quia in homine Deo ipsi obedimus. Hac de diuina presentia à nobis considerata gaudemus. Hac à Deo regimur, & absque dubio nihil nobis deficiet, canente Dauid: *Dominus regit me: & nihil mihi deerit.* Hac consilia nostra reuicimus, quæ sæpe incerta, sæpe vana, sæpe noxia sunt, ut solum Dei consilium nobis salutare sequamur.*

Ecce rationem quare Deus tam seuerè in eos agit, qui de prælati detrahunt, & tam rigidè inobedientes punit, quia nimirum iniuria prælati irrogata sibi irrogatur, & à se, cui summè debita est, obedientia subtrahitur. Aarõ, & Maria soror eius quia murmurauerunt aduersus Moysen, grauiter à Domino repressi sunt, & mulier, quæ procacius peccauerat, lepra percussa est. Ecce Maria, inquit scriptura, apparuit candens lepra quasi nix. Chore, Dathan, & Abiron, & omnes adherentes eis propterea quod iniuriosè se habuerunt aduersus Moysen eundem, infeliciter perierunt. [Diruptaque est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum deuorauit illos cum tabernaculis suis, & vniuersa substantia eorum, descendèruntque viuia infernum.] Populus iterum murmurauit contra Moysen, [quamobrem misit Dominus in eum ignitos serpentes, à quibus partim sit vulnerati, partim occisi. Quid habet iste Moyses, quod Dominus tanto zelo succenditur, ut pro eius honore nemini parcat, sed & fratres eius, & nobiliores populi, & ipsam multitudinem tam magna plaga percutiat? Erat ipse princeps, ac omnium prælatorum

imago, quorù iniurias Deus proprias reputat, & grauè sæpe vltione castigat. Quare viri iusti semper prælatorum suorum licet imperfeetorù honorem tuerentur, & siquid vel leuissimum in eos peccauerint, statim ad cor redeunt, & seipos grauiter puniunt. Sic Dauid percussit cor suum, eo quod abscidisset oram chlamydis Saul, quia nimirum non debuit mittere manum suam in principè populi, ac Christù Domini. Quem locum Nicolaus Primus ad Michaëlem Imperatorem scribens, de prælati moraliter interpretans, sic ait. Saulem tamen Dauid ferire metuit, quia piæ subditorum mentes ab omni se peste obtretationis abstinentes, præpositorù vitam nullo linguæ gladio percutiunt, etià cum de imperfectione reprehendant: qui etià quãdo pro infirmitate sese abstinere vix possunt, ut extrema quædã atque exteriora mala præpositorum, sed tamen humiliter loquantur, quasi oram chlamydis silenter incidunt: quia videlicet dum prælatæ dignitati saltè innoxie & latenter derogat, quasi regis superpositiue temerè sedat. Sed tamè ad semetipos redeunt, seque vehementissimè vel de tenuissima verbi laceratione reprehendunt. Vnde bene & illic scriptum est: [Post hæc Dauid percussit cor suum, eo quod abscidisset oram chlamydis Saul.] Facta quippe præpositi, oris gladio ferienda non sunt, etiam cum rectè reprehendenda iudicantur. Si quãdo verò contra eos vel in minimis lingua labitur, necesse est, ut per afflictionè penitentiæ cor prematur, quatenus ad semetipsum redeat: & cum præpositæ potestati deliquerit, eius contra se iudicium, à quo sibi prælata est, perhorrescat. Ideo ergo prælati cum magna reuerentia tractandi sunt, nec eorù sunt mores, aut vita taxanda, quia cum Dei locù teneant, cuiusque personam referat, ipse sibi iniuriam irrogatam deputat, quam in prælatos factam considerat. [Diis nõ detrahes, inquit, & principi populi tui nõ maledices.] Deos vocat prælatos, ac principes populi, ut in illis Deum consideremus, & iniuriam illorum Dei esse iniuriam sciamus.

Ideo etiam inobedientia idololatriæ comparatur, ut eius malitiã in Deum ipsum recidere declaretur. Et Samuel dixit ad Saul: *Quasi peccatù ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere.* Hariolandi peccatù religionis virtuti opponitur, & idololatriæ scelus fidei aduersatur. Quare igitur inobedientia cum his peccatis cõfertur, nisi ut intelligamus eam in Deù ipsum per prælatos iubentem refundi: Est quasi peccatù ariolandi, quia Deo in præpositis, debitam venerationè tollit. Est quasi scelus idololatriæ, quia quodãmodo fidei meritù præcipit. Quare Gregorius, & Bernardus huc locù eisdem omnino verbis interpretantes aiunt: Hariolandi peccatum inobedientia dicitur, ut quanta sit virtus obedientiæ demonstraretur. Ex aduerso enim melius ostenditur quid de eius laude sentiatur. Si enim quasi peccatum hariolandi, est repugnare, & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere, sola obedientia est, quæ fidei meritù possidet, sine qua quisq; infidelis conuincitur, et si fidelis esse videatur. Relinquitur itaque, obedientiæ radicè esse, quod Deus iubet quicquid præpositus præcipit, modò nihil aduersum Deo legique præcipiat. Et qui sic madata prælatorù acceperit, quasi à Deo ipso prodeuntia, is obedientiã stabilem & firmam acquirat. Non enim parat, quia superior sapiens est: nam sic non obediēt ignaris & indiscretis. Non quia nobilis est, multi enim sunt secundum mundi huius progenitores, ignobiles. Non quia amabilis ingenij est, quoniam multi sunt morosi satis & duri. Sed subiicit se, quia Deus præcipit: & quia ipse in quocumque prælato etiã ignaro, & ignobili, &

1. Reg. 24.
6.

Nicol. ep.
1. Hab.
3. 10. cum
caliorn.

Exod. 22.
28.

1. Reg. 15.
23.

Greg. 35.
mor. c. 10.
Bern. de
ordina. vi.
14.



proteruo præcipit, modò id quod præcipitur, malum non sit, ideo verus obediens alacriter pareat, quia non insipientiæ aut defectui hominis, sed potestati à Deo mananti, atque ipsi Deo iubenti, se subiicit.

*Quanta sit religioso Obedientiæ
necessitas.*

CAPVT III.



QVAELIBET res multis opus habet, vt in suo esse duret atque subsistat, non tamen sunt omnia æquè necessaria, sed quædam magis, quædam minùs, secundum quod ad rei finem appropinquat.

Homini necessaria est anima, vt viuat, & corporis partes, ne anima à carne discedat, sed inter hæc anima præstat, sine qua homo nec esse ad momentum valet, immo nec concipi potest, & partes corporis non sunt æqualiter necessariae, nam multò magis pendet vita ex cerebro, & ex corde, quàm ex brachio vel tibianam his abscessis homo aliquo tempore viuit; sine capite verò, aut cerebro, aut corde, nec ad momentum viuit. Idem profus euenit in rebus ab arte confectis, & in ipsis muneribus, & statibus hominum, quod quibusdam partibus, aut instrumentis, aut subsidiis magis quàm aliis indigent, & sine his ægrè stare, sine aliis verò omnino stare non valent. In religioso autem statu obedientia ad eò necessaria est, vt ea subtracta penitus stare non valeat. Nam religio est congregatio multorum tendentium ad perfectionem peculiaribus institutis & legibus sub directione vnus capituli ordinata. Tolle obedientiam, ita vt quisque suo arbitrio viuat, & suo, prout libet, modo procedat, & auferes certas leges multitudinem continentes, & tolles ordinem, ac ex consequenti auferes vnitatem ac religionem. Sublata paupertate aliqua umbra religionis manet, si vnusquisque sua commoda status sui bono subiiciat. Sublata castitate aliquod vestigium religionis perstat, si quisque in reliquis viuendi ordinem non omittat. At si auferas obedientiam & subiectionem in membrorum ad caput, totum corpus destruitur, & in varia ac multa discinditur. Thomas Aquinas ex fine religiosi status obedientiam necessitatem venatur. Hic enim status est disciplina quædam in perfectionem tendentium: perfectio autem non est cunctis facilis cognita, & ad eam Deus parauit multiplices vias. Illi ergo qui ad eam contendunt, & in virtute instituntur, doctore ac magistro indigent, quo de via sibi apta & à suo instituto non aliena doceantur, & sic ad finem sine offensione perueniant. Huic ergo magistro religiosi subdantur necesse est, quæ subiectio fit per obedientiam. Atque ad eò semota obedientia certa, ac secundum arreptam vocationem tendendi imperfectionem via, ac ipse religiosus status, esse suum habere non poterit. Cùmque ad omnes artes addiscendas subiectio discipuli ad magistrum necessaria sit, & si ille huic nõ obediatur, nunquam artem, quam profiteretur, addisces: ad sanctitatem, & veram virtutem comparandam tantò magis necessaria erit, quanto hæc disciplina cæteris præstat, & maioribus difficultatibus est expolita.

Status religiosus sine pace & concordia multorum stare nõ potest. Nã pax, vt Augustinus ait, est tranquillitas ordinis, ordine autè & tranquillitate sublatis, non manet, spiritualis hominum congregatio, sed manifesta confusio. Pacem verò obedientia efficit, obedientia

A custodit, quam si repellas, pacem quoque reieciēs. Pax enim subiectionem requirit inferioris ad superiorem, vt secundum istius voluntatem ille disponatur ac pareat. Si ergo abstuleris obedientiam & subiectionem, tolles & pacem. Quapropter Dionysius Richelius efficacissimum medium ad pacem congregationis seruandam obedientiam putat, sic scribens. Pax perturbationem excludit. Perturbatio verò rebellio est inferioris à superioris recto iustoque ordine, & quemadmodum optimum in entibus est ordo, sic pessimum in ipsis extat turbatio, ideoque obedientia nobis præsertim districteque seruanda est. Qui enim inobediens est, pacem amittit, ordinem non tenet, & perturbationem, quæ pessima est, suscitaturque inducit. Porro vt tunc ciuitas pacem habet, dum secundum gubernatoris voluntatem omnia in ea aguntur; sic cùm in cœnobio secundum præfidentis directionem rectam ac rationabilem fratres disponuntur, & viuunt, pacem habent cœnobium: & vix illi, qui eam impedit, aufert, aut odit. Sic ille. Profectò qui pacem sui & aliorum in religione tenere cupit, sit oportet ad superiorem comparatus sicut pannus in manu sartoris. Vt quemadmodum sartor pannum coram se positum pro sua voluntate diuidit, & hanc eius partem ad faciendam vestem applicat, & hanc in aliud tempus ac aliis vibus seruat; rursus ex particula illius collum, & ex alia fimbriam vestis efficit; sic prælatus ex subditis suis, quosdam maiori ministeriis, alios verò minoribus dedit. Qui eius imperio non resisterit, in pace erit, qui autem iugum excusserit obedientiæ, in se & in aliis pacem vnitatemque turbabit. An non habet potestatem figulus luti, inquit Paulus, ex eadem massa facere idem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? Vtque habet, & sua officina plena esset dissensionis, si massa luti resisteret. Ita potestatem habet prælatus subditos suos tanquam materiam sibi subiectam, his atque illis muneribus occupare; nec pacem habet cœnobium, sed turbationem & clamores, si ipsi resistant. Est verò non silendum figuli prælatique discrimen: quòd ille quædam vasa ex eadem massa luti à se facta ministeris contumeliosis applicat, hic verò omnes subiectos suos muneribus honorabilibus deputat. Nihil enim in statu religioso est, quod non honoris & dignitatis plenum sit. Tu dices, quia functiones illæ speciosæ quæ apud sæculares splendent, honorabiles sunt. Ego autem dico, quia & illæ, quæ abiectiones videntur, non minus honoris & aliquid magis quietis & securitatis habent. Non habent minus honoris, qui non ex falsa cæcorum æstimatione, sed ex Dei ipsius & sapientum sententia pensandus est. Hi autem honore dignissimum putant quod Deo placet, & ob eius amorem humili corde suscipitur. Habent autem magis tranquillitatis & securitatis, cùm certum sit, loca humilia minus periculi habere, minus ventis inanis gloriæ & tentationum turbinibus agitari. Maneat ergo, pacem congregationis in obedientia consistere, nec quemquam suæ aut aliorum paci consilere, qui iussionibus prælatorum resisterit, subiectionemque turbauerit.

E Nunc, vt magis perspecta sit hæc obedientiæ necessitas, ad finem status nostri redeamus. Finis eius est, voluntatem Dei facere, spiritualiter viuere, perfectionem assequi. Hæc autem nemo sine obedientia obtinebit. Huius rei nos ipsos testes esse handquam negabimus. Cuius enim rei gratia à seculo discessimus, & ad statum religiosum confugimus? Eius sanè, quòd experimento comperimus, nos inter occasiones positos, & sine ductore ac magistro, non

*Diony. li.
2. de vi.
ta & sine
solut. ar.
vlt.*

*Roma. 9.
21.*

*D. Thom.
2. 2. quæ.
186. ar. 5.*

posse aduersariorū dolos effugere, & Dei nos vocātis A
 voluntatem implere. Nunc verò ductorē à Domino
 constitutum spernemus? nunc nostro, & non illius
 arbitrio viuemus? & ipsius imperiis resistentes, Dei
 nos voluntati accommodabimus? Nullo modo. Im-
 mo qui secundum præscriptum prælati sui vixerit, &
 ea, in quibus nullum manifestum est peccatum, iusta
 perfecerit, Dei absque dubio voluntatem facit. Hinc
 autem Bonauentura obedientiæ necessitatem colle-
 git, & quia non confidis, ait, tibi ipsi, vt præsumas te
 scire quid velit Deus, ideo commisit te superiori
 tuo, vt ipse te regat, & dedisti ei manus tuas in pro-
 fessione, vt ipse te in viam Dei inducat, vnde non
 licet tibi viuere de cætero pro velle tuo sed quò du-
 ctor tuus ire iubet, & quod ipse prohibet, cauere de-
 bes, quia qui artem aliquam addiscere cupit, sui do-
 ctoris regulas debet tenere, & proprias adiuuen-
 tiones relinquere, & infirmus qui adhuc accessiones
 vitiorum patitur, debet seruare dietam, quam ei me-
 dicus suus indicit, si citò & bene vult curari. Ita & tu
 nihil facias, siue dicas, quod magistrum tuum nolle
 præsumas. Non putamus, omnes prælatos, sapientes
 aut prudentes esse, nec dicimus eos errare non posse.
 Possunt enim eo ipso quòd homines sunt, & à Deo
 modo humano gubernare sinuntur; at ego non erro,
 si in his quæ peccata non sunt, eorum imperiis obedi-
 dio. Idque mihi significant illa verba Pauli: Obe-
 dite præpositis vestris, & subiaccete eis. Ipsi enim per-
 uigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddi-
 turi. Illi rationem reddent de his quæ imperant, ad
 nos non aliud pertinet, nisi mandatis ipsorum ob-
 temperare, & illis per reuerentiam subiaccere. Opti-
 mamque habemus excusationem apud Dominum,
 interrogantem, quare hoc aut illud fecerimus, si no-
 bis id à prælato iniunctum fuisse, & manifestum
 peccatum non fuisse dicamus. O summa libertas, in-
 quit Hieronymus (& de obedientia loquitur) qua
 obtenta vix possit homo peccare. Peccabit enim si
 aliquid manifestè malum ex imperio Superioris fa-
 ciat, at non peccabit, nec Deo displicebit, si in reli-
 quis obediatur. Datus est nobis alter Moyses, nempe
 prælatus, qui nos non ad terram morientium, sed ad
 terram viuentium ducat: eius iussis obsequamur, vt
 terram illam, cœlestem scilicet patriam, habitemus.
 Olim in Israël sic loquebatur vnusquisque vadens
 consulere Deum: Venite & eamus ad videntem. E-
 adem consuetudo in qualibet familia religiosa bene
 instituta nunc viget, vt qui voluerit Deum con-
 sulere, & eius voluntatem agnoscere, non ad alium
 quàm ad videntem vadat. Quis est autem videns?
 Nonne prælatus, cui Dominus pro muneris exigen-
 tiâ maiorem lucem communicat, qui ob experien-
 tiam rerum ampliores, scientiam gubernationis ha-
 bet, & sepe quæ subditi non vident, ipse videt? Ad
 hunc properandum est, ipsius monita suscipienda
 sunt, & actioneque præstanda, si volumus Dei consi-
 lium ac voluntatem agnoscere, & à perplexitatibus
 liberari. Est non semel vit spiritualis anceps, ac du-
 bius, quid sibi in qualibet re faciendum sit, vt iuxta
 Domini beneficium viuat: an in cibo & potu, &
 somno nimis corpori indulgeat, an è contrâ virium
 corporalium ad seruandum Deo minorem ratio-
 nem habeat, an parum, vel multum temporis studio
 orationis impendat, an minus quàm par sit proxi-
 morum utilitati vacet, aut è contrâ se supra talen-
 tum acceptum effundat, & in aliis similibus. Quid is
 faciet? non aliud quàm ad videntem ire, prælatum
 consulere, & eius præscriptum sequi, & sic & sibi vile,
 & Dei voluntatem agnoscat. Adeo vt si prælatus
 consulens erret, ipse obediens non erret, sed etiam

Bonau.
de inte-
riori ho-
mine. c.
2. p. 1.

Hebraeor.
13. 17.

Hierony.

1. R. g. 9.
9.

errore alterius ducentis, actionem prudentiæ confor-
 mē meritumque reportet. Sic implet mandatum
 Sapientis: Habe fiduciam in Domino ex toto cor-
 de tuo, & ne innitaris prudentiæ tuæ. Tunc quis no-
 nitur prudentiæ suæ, cum maioris consilium audit,
 ei que se subdit. Tunc autem fiduciam habet in Do-
 mino, cum per consilium directoris sui, noticiam di-
 uinæ voluntatis se habiturum esse confidit.

Ex his autem manifestum est, neminem posse sine
 obedientia spiritualiter viuere. Nam summa spi-
 ritualis vitæ non alia est, quàm diuinæ exequatio vol-
 untatis; & idem prorsus est spiritualiter conuersari,
 & diuinam voluntatem sequi, sicut ex aduerso, car-
 naliter viuere, & propriam voluntatem facere. Nul-
 lus autem Dei voluntatem sequetur, qui relictis præ-
 latorum mandatis propriæ voluntatis desideris ac-
 quieuerit. Ac ideo iure Basilius plenissimam subie-
 ctionem ad vitam spiritualem requirit. Cum enim
 dixisset obedientiam inter alia esse ad religiosam
 vitam necessariam, de ea hæc subdit. Siquidem hoc
 totius vitæ huius institui caput est. Quemadmodum
 enim Deus, qui omnium pater & est, & appellari sua
 solius vult dignatione, summam, à quibus colitur,
 obedientiam requirit: sic qui spiritualis in homi-
 nibus pater est, cum præscripta sua ad diuinam legem
 exemplum accommodet, perfectissimam ipse
 quoque obedientiam requirit. Etenim si quis se ali-
 cui artium istarum liberalium ac mechanicarum de-
 derit, istarum dico, quæ ad transmittendam vitam
 hanc viles sunt artificii suo, quacumque ratione pa-
 rendum putat, neque vlla in re præceptis illius ad-
 uersatur, nec verò ab eo, vel ad minimum tempus
 digreditur, sed assidue vsque in oculis magistri est,
 cibumque ac potum, & reliquum victum omnem
 æquo animo, vt ille præscripserit, admittit: multo cer-
 te credibilis est, qui se ad pietatis, religionis que do-
 ctrinam percipiendam contulerunt, eos, quòd semel
 sint persuasi, huiusmodi posse se ab antistite suo
 scientiam accipere, fore vt omnibus illi in rebus li-
 bentissimè obsequantur, summæque ac diligentissi-
 mè obtemperant, neque ab eo, eorum, quæ sibi im-
 perentur, rationem repositant, potiusque vt impera-
 tum opus perficiant. Hæc Basilius. Merito itaque
 quidam putarunt de vita spirituali, ac de adeptione
 salutis animæ perinde sentiendum esse ac de adeptio-
 ne sanitatis. Vt quemadmodum, vt salus corporis
 proueniat, ad medicum spectat vim morbi cogno-
 scere, etatem & robur aut imbecillitatem & reliquas
 qualitates ægri considerare, & apta remedia præ-
 scribere. Ad ægrotum verò solum pertinet obedire,
 & quod sibi imperatum à medico fuerit, aut agere,
 aut pati. Ita medici spiritualis, scilicet prælati, est, sub-
 ditorum ingenia agnoscere, defectus ac virtutes eor-
 um callere, pro eis ieiunare, orare & plangere, mala
 præuenire, remedia ad progrediendam adhibere, &
 eos exemplo præire. Ad subditos verò vnum tantum
 spectat, nimirum obedientiam præstare, & sinere se
 regi, & à præscripto spiritualis patris in nullo disce-
 dere. Adolescentior ille filius tunc more nobilium
 vixit, & substantiam suam satis amplam seruauit,
 quandiu in domo patris mansit, & ab eo gubernari
 se sinit: at fortem mancipiorum induit, & heredi-
 tatem perdidit, cum à domo patris discessit. Ita &
 subditi cum spiritualis patris ductum sequitur, me-
 ritis abundat, pauper verò efficitur, cum eius iussio-
 nibus reluctatur.

Hac vna virtute omnes alias virtutes exercet, &
 promouet, quia omnes leges, & cuncta instituta &
 præcepta religiosæ vitæ de virtutum actibus data
 sunt; atque adeo qui eis se accommodat, virtutum

Proverb.
3. 5.

Basilius
consil. ma.
nasp. c.
20.

studiosus

studiosus efficitur. Is pauper erit spiritu, quia obedientia paupertatem iubet: castus erit & humilis, quia obedientia castitatem & humilitatem præcipit; mitis erit & contemptor sæculi, & aliarum virtutum possessor, quia eas omnes obedientia præscribit. Hoc sonant illa verba Augustini: Obedientia commendata est in præcepto, quæ virtus in creatura rationali mater quodammodo est, omnium custôsq; virtutum, quandoquidem sic facta est vt ei subditam esse sit vile, perniciosam autem suam, & non eius à quo creata est, facere voluntatem. Nihil boni extra obedientiam sit, quia eo ipso quod obedientia non inbeat aliqui, aut moneat, aut saltem fieri permittat, à numero actionum studiosarum excluditur. Ipsa verò obedientia est per quam religiosi ad artem omnis virtutis accedunt. Quod Ioannes Climacus, de religiosi cuiusdam monasterij loquens, se experimento didicisse fateatur, sic scribens: Vidi illic viros quinquaginta fere annos in obedientiæ certamine egisse, à quibus cum addiscere orationem quam ex labore isto consolationem, quem profectum inuenissent: Alij quidem in abyssum humilitatis peruenisse dicebant, per quam bellum omne semper excluderent, ac superarent: Alij, sensum omnem laboris & doloris in maledictis & contumeliis se perfectè exuisse dicebant. Vidi alios ex illis æternè memorandis viris, angelico aspectu, venerandæque canitie, ad profundissimam innocentiam simplicitatèque sapientiæ plenissimam, summa alacritate propositi, Deique adiutorio quæsitam, non irrationabilem quandam & inspidam, vt in sæculi senibus contingit, quales deliros vocare solent, pertenuisse; extrinsecus quidem mites totos, blandos, placidos, lætos, nihil fictum, nihil negligens, nihil adulterinum in suis verbis, aut moribus habentes, rem quidem quæ in paucis inuenitur: Interius verò in anima Deum ipsum ac prælatum infantium in morem ambientes, meritisque aciem aduersus Dæmones & vitia audacem firmissimamque intendentes. Hæc ille vidit in variis obedientibus, & nos similia & maiora vidimus in nostris perfectè obedientiæ deditis, & certa relatione comperimus, vt sic constet, obedientiam reliquarum virtutum esse magistratam, & qui eam vnâ tenuerit, non posse ab aliarum studio separari. Vnde merito Bonauentura ait: Nemo ad perfectionis semitam currendam magis expeditus quàm verus obediens. Si igitur religiosa vita est schola virtutum & perfectionis iter, manifestum est, eam in tantum obedientia indigere, vt sine hac virtute nec finem suum assequatur, nec in sua natura & decore perfecteretur. Ac ideo possumus contemplari Dominum de religiosi dicere quod de filiis Israhel: Quis der talem eos habere mentem vt timeant me, & custodiant vniuersa mandata mea in omni tempore vt bene sit eis, & filiis eorum in sempiternum? Certè hoc consilium, & hæc mens salutaris erit habentibus eam. nam si mandatis præpositorum, quæ Dei sunt mandata, se subiecerint, bona sibi & posteris suis obtinebunt. Bona sibi, quoniam per obedientiam veri religiosi, & in omni virtute perfecti fiunt. Dignique erunt iustorum nomine. Nam mens iusti meditabitur obedientiam, quomodo scilicet iussus maiorum obedi, [os impiorum redundat] inobedientiæ [malis]. Bona quoque posteris suis, quibus vitam religiosam in suo decore & seruore perseverantem tradent. Nihil enim ita seruorem primum religiose vitæ custodit, ac perfectæ obedientia, qua singuli ea implere satagunt, quæ sibi à prælatis & maiorum institutis demandantur. Et hæc vita nostra si in aliquibus eam colentibus cecidit, absque dubio per-

A inobedientiam cecidit, & si aliquando surrectura est, per veram obedientiam resurget.

Quam multiplex sit excellentia Obedientie.

CAPVT IV.

DE v s partes corporis nostri ita dispositæ sunt, vt magis necessarias pulchriores & nobiliores effecerit, & simul in eis utilitatem præstantiamque coniungent. Id in capite & in corde hominis nemo non videt. Quid in partibus corporis maiors momenti quàm caput, quod vertex est noster, quod sedes omnium est sensuum, quod quasi princeps reliqua membra gubernat, & regit? Sed quid pulchrius capite, à quo sicut & nerui initium capiunt fontes sensus & motus, ita & omnis pulchritudo descendit? & quid nobilius capite, in quo omnis perfectio per alia membra sparsa simul vitæ residet? Quid enam magis necessarium quàm cor, ex quo vt dixit Sapiens, vita dependet? Sed quid pulchrius corde, cuius figura versus terram angusta, & versus cælum lata, & tantillum in modum orbis effecta, designat illud cæli pulchritudinem emulari, & quasi totius orbis, quem capit, & despicit, decore vestiri? Et quid nobilius corde, cuius calor qualitas nobilissima, ceu calor solis omnia membra corporis fouet, & simul cum calore eis vitam impertit? Idem in aliis rebus à natura siue ab arte inuentis videre licet. Nam in republica rex est nobilissimus, in exercitu imperator dignissimus, in schola magister præstantissimus, & simul necessitate præcellunt. Nec enim regnum sine rege, nec exercitus sine imperatore, neque schola sine præceptore subsistit. Quid de artibus & studiis hominum dicam, in quibus ita necessitas & nobilitas scederantur, vt in earum instrumentis, & effectis, (vt quisque facili discursu reperiet) magis necessaria illustriora existimentur? In religiosa vita idem omnino contemplati sumus, in qua obedientia, quæ necessitate præstat, etiam nobilitate & excellentia præeminet. Si enim generaliter accipiatur, vt quædam omnium mandatorum impletio; quis non videat eam omnium virtutum, quarum actiones complect, & ad quas inuitat, pulchritudinem & præstantiam continere? Certè Fides, Spes, Charitas, Prudentia, Iustitia, Fortitudo, Temperantia, & quidquid aliud in veris bonis anima numeratur, aut obedientia est, aut sine obedientia non est. Quia horum quodlibet eatenus Deo placet, quatenus ab eo per præceptum, aut consilium iniunctum est, & si ab eo vetitum esset, eo ipso, si fieret, displiceret. Profecto Sanctus Ephraem vni obediens omnium virtutum exercitationem ascribit. Qui obediens est, inquit, omnibus gratus est, ab omnibus laudatur, & ab omnibus probatur. Vir obediens citò exaltatur, & celeriter progressus magnos efficit. Vir obediens præcipientibus non resistit, & iubentibus non aduersatur. Reprehensus non irascitur, ad omne opus bonum promptissimus est: ab iracundia non facile capitur: si reprehendatur, non commouetur, & si contumeliis afficiatur, nequaquam excandescit. In calamitatibus gaudet, & in tribulationibus Deo gratias agit. De loco in locum non transmigra, & ex vna in aliam mansionem non se transfert: admonitus non perturbatur, ad quem ordinatus est locus, in eo manet, & tædio non afficitur. Patrem non despiciit, & fratrem nequaquam spernit; monasticæ vitæ rationem nõ carpit. Recreationes & otia fugit, ac locorū acris-

Ephra. de
vitt. c. de
obediencia.

que

Aug. 14.
de ciuit.
c. 12.

Climac.
grad. 4.

Bonauin
specul. p.
l. c. 4.

Deut. 5.
29.

Prov. 15.
28.

que amoenitatis minimè seclatur: sed secùdùm Apostolum, in qua vocatione vocatus est, in ea manet.] Hæc de obedientia generaliter dicta accipièda sunt. At si obedientia specialis virtus, qua prælatis obedimus, in his quæ præcipiunt, aut ordinant, in disputatione vocetur, plurima habet, quæ eâ supra æstimationem nostram nobilitant, quorum aliqua hic afferenda sunt, vt cluceat, obedientiæ præstantiam, à necessitate non vinci, sed ei per omnia coarqvari.

Sed vnde obedientiæ laudes inchoabimus? Ab eo sanè, quòd virum obedientem & Christo similem & planè beatum facit. Ille factus est obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis, & per mortem, obedientiæ opus, resurrectionem sui corporis, & ascensum in cælum, & exaltationem sui nominis acquisiuit. Similiter verus obediens per obedientiam, qua se propter Deum prælato submittit, veram beatitudinem comparat, & ad æternam libertatem aspirat. Quamobrem sicut in republica princeps est, & dicitur, qui suo tempore est principatum accepturus: ita & obediens beatus est, quia ob meritum obedientiæ magnam est felicitatem adepturus. Ideo idem Beatus Ephræm virum obedientem, felicem & Christo similem vocare non metuit. Beatus ait, qui vera & minimè simulata præditus est obedientia: quoniam hic imitator est optimi nostri præceptoris, qui obediens fuit vsque ad mortem. Verè igitur, qui obedientiæ frui potest, beatus est: quia cum Domini sit imitator, etiam coheres illius efficitur. Qui obedientiam obtinet, vinculo charitatis cum omnibus coniungitur. Qui obtinet obedientiam, magnam possessionem obtinet, magnasque sibi delicias accumulauit. Sic ille.] Quæ autem esse potest hæc magna possessio, quæ hæc magnæ diuitiæ, nisi certa felicitatis spes, qua obediens in hac vita beatus efficitur?

Et quidem in hoc etiam obedientia similis est beatitudini, quòd per eam homo vt holocaustum perfectissimum in honorem diuini nominis consecratur. Hoc enim vitæ hominum in Ecclesia militantium, & vitæ in patria regnantium videtur esse discrimen, quòd illa est similis sacrificio, hæc holocausto. Illa est quasi sacrificium, quia quantumvis perfecta sit, aliquid sui naturæ & necessitati tribuit, & id quidquid sit, quasi ab holocausti integritate subtrahit. Hæc verò est quasi holocaustum, quia sancti in cælesti patria ita Deum amant & laudant, vt se totos & per totam æternitatè in hoc opus amoris & laudis impendant. Idem autem in vita perfectorum obedientium reperitur, qui se totos & omne tempus Deo consecrant, & ideo quandam similitudinem æternæ felicitatis obtinent. Si manducant, ex obedientia manducant; si dormiunt, ex obedientia dormiunt; si quid aliud ad corporis commodum perficiens faciunt, ex obedientia faciunt: & alia non jam media sed verè bona & perfecta opera multo magis ex obedientia perficiunt. Vnde nihil est in illis quod ad similitudinè patriæ cælestis non in Dei laudem consecratur. Istaque videtur, ratio potissima, quare in Sacris scripturis obedientia victimæ præferatur.] Numquid, ait, vult Dominus holocausta & victimas, & non potius vt obediatur voci Domini? Melior est obedientia quàm victimæ, & ascoltare magis quàm offerre adipem arietum.] Quibusnam victimis obedientia præfertur? An solis insipientium victimis? de quibus in Ecclesiaste scriptum est: Multo melior est obedientia quàm stultorum victimæ, qui nesciunt quid faciunt mali.] Non dubium est, quin his victimis obedientia præponatur. Nā hæc ab stultis pro suis peccatis oblata Deum

Philipp. 2. 8.

Ephra. supra.

1. Reg. 15. 22.

Ecc. 4. 17.

A non placant, quia de peccatis pro quorum expiatione oblationem offerunt, nō dolent, & in his, quorum remissionem postulant, perseuerant. Ignorantque quantū malum admittat, dū solis sacrificiis sine mandatorū custodia purat se posse saluari. At obedientia semper Deo placet, & plus ipsa quàm multi labores, & multæ operū oblationes valet. Vera quippe est sententia Augustini. Hæc in nobis summa & sola est virtus obedientiæ. Si ieiunaueris diebus ac noctibus, orationem que feceris, si in sacco fucis vel cinere, si nihil aliud feceris, nisi quodcumq; præceptum est in lege, & tibi visus fueris quasi sapiens, & obediens patri non fueris, omnes virtutes perdidisti. Vna obedientia plus valet quàm omnes virtutes.

B An etiam obedientia melior est bonorum victimis & sacrificiis? Ita sanè: quoniam oblationis dignitas ex rei oblatæ dignitate etiam pensanda est: per obedientiam autem iustus seipsum totum Deo immolat, cum tamen per victimas & sacrificia carnes alienas animalium rationis expertium offerat. Iste est intellectus Gregorij dicentis: Obedientia victimis iure præponitur, quia per victimas aliena caro; per obedientiam verò, voluntas propria mactatur. Tanto igitur quisq; Deū citius placat, quāto ante eius oculos repressa arbitrij sui superbia gladio præcepti se immolat.] Sapiēter verò sanctus hic doctor, cum prius dixisset propriā voluntatè obedientia mactari, postea subiungit; totū hominē Deo virtute subtractionis offerri, quia dū quis voluntatè suā reginā virium reliquat, & membris omnibus imperantè immolat, nihil nō Deo subiectū & oblatum sibi reseruat. Victimarum oblatio ad virtutem religionis pertinet, quæ omnium virtutum moralium est præstantissima; fator: sed etiā religiosa obedientia voto firmata & studio glorificandi Deū, & venerationem ei exhibēdi assumpta, religionis est opus. Quæ cum ex alia parte rē potiorè victimis offerat, nō mirum si Dominus eā excellentiorem victimis censeat.

C Si verò victimarum nomine non iam oblationes animalium, quæ in lege veteri offerrebantur, sed virtutum actiones intelligamus, certū est, obedientiā his victimis, id est, virtutū moralium actionibus præstare. Nam per obedientiam homo non iam res perituras, aut fœdas carnis oblationes, aut inanes honores & dignitates spernit, sed semetipsum, & potestare viuendi arbitrio suo derelinquit. Quod certè sicut præstantius est, & amabilius omnibus aliis bonis, ita virtutū actibus, quibus alia bona deferuntur, est præferendum. Scitè quidā dixit: Per obedientiam homo nō minùs deserit spōte, quàm per seruitutem amittit inuitè, quia vniuersa illa deserit, quæ agere, pati, cōsequi, habere, & retinere, & largiri potest. Seruitus autè iure morti coarqatur, atq; adeo qui obedientiā colit, quasi mortè propter Deū sustinet. Obedientiā quoq; religiosa sacrificiū est totius hominis, quod ignis charitatis in Dei honorè incēdit: vnde cum aliæ virtutes quasi res hominis offerat, & ab obedientia accipiāt, quòd victimæ sint, cum obedientia in dignitate cōferri nō possunt. Optimè id sanè docuit Gregorius sic scribens: Inobedientes autem dū tumentis corde maiorū iussa non faciūt, cum meliortate, quod eis iniungitur, conātur, sua opera Deo offerre dum cupiūt, semetipsos tollunt. Nā per alias virtutes nostra ei impendimus, per obedientiā nosmetipsos exhibemus. Samuel ergo subiungens, ait: Numquid vult Deus holocausta & victimas, nō potius vt obediatur voci Domini?] Quid enim sūt bona electorum hominū opera, nisi victima & holocausta? Cum ergo holocausta & victimas per legē offerri Dominus præcepisset, quid est, quòd Dominus

Aug. 1. 1. de obed. et humil. 109.

Greg. 35 mor. c. 10.

Greg. in 1. reg. ad. c. 15.

1. Reg. 15. 22.

holo

holocausta & victimas nolle dicitur, velle autem vt ei obediatur, pollicetur: nisi quia quæ præter obedientiam fiunt, holocausta, & victimæ non sunt? quasi dicat: tunc bona sunt bona opera, quando à præpositorum conscientia non discordant. Si verò hoc ideo dicitur, vt virtus obedientiæ commendetur, liquet quàm sublime bonum sit, quod victimis & sacrificiis excellit. & post nonnulla: quia longè altioris meriti est, propriam voluntatem alienæ semper voluntati subicere, quàm magnis ieiuniis corpus atterere, aut per compunctionem se in secretioni sacrificio macerare. Quid est enim adeps arietum, nisi pinguis & interna deuotio electoris? Adipem ergo arietum offert, qui in studio secretæ conuersationis deuotæ orationis affectum habet. Melior est tamen obedientia quàm victimæ, & quàm offerre adipem arietum. Quia qui perfectè voluntatem sui præceptoris implere didicit, in cælesti regno, & abstinentibus & stentibus excellit.]

Sed alia demum ratione has victimas, id est, virtutum actiones, obedientia præcellit, quia hæc quasi sacrificia sunt, obedientia verò est holocaustum, quod nihil non Deo consecratum relinquit. Paupertas opes immolat, temperantia carnem maciat, at obedientia corpus hominis, & appetitiones eius, & voluntatem & iudicium, & breuiter Deo omnia hominis bona submitit. Quapropter verissimè Anselmus bonum sacularem homini comparat, Domino suo, fructus cuiusdam arboris offerenti, religiosum verò non tantum fructus, sed & arborè ipsam donanti. Ille dicit; En Domine fructus vitæ meæ tibi trado: hic verò ait: Et ego non tantum opera, sed & me ipsum totum tibi committo. Vel dicit, vt verba huius Doctoris in medium proferam. Domine meæ hæcenus potestatis eram, quòdque mihi libebat, bonum malumve, faciebam. Verum quia tuus omnino debeo esse, tibi que soli tantum bona opera fructificare, me totum tuæ trado potestati, vt amodo tibi fructificem. Quod vt melius tibi facere valeam, me vni ex Ecclesiæ tuæ prelati subdam, qui me custodiens ea tantum opera doceat agere, quæ tibi nouerit magis placere. Illius ergo meritum quasi sacrificium est, istius verò labor quasi holocaustum existit. Cui profectò illud congruit quod Ecclesiasticus de regio vate scripsit: Sicut adeps separatus à carne, sic Dauid à filiis Israël. Ille scilicet sæcularis, est sicut caro sacra Deo in hostia pacifica oblata, quæ partim in vsum sacerdotis cedebat, partim ab ipso offerente cum gratiarum actione comedebatur. At hic, scilicet religiosus obediens, est sicut adeps multò sacratior, quem totum ignis in Dei honorem absumebat. Atque adeò obediens vita verum est holocaustum, & obedientia illum planè beatum facit, quoniam similem beatis spiritibus, & toto tempore Deo deditum, & illi consecratum constituit.

Obedientia quoque aliter religiosum beatum facit, nimirum quia operibus minimis aut non multi momenti meritum eximium impertit. Beatum enim dicimus mercatorem, qui paruis rebus magnas opes lucratur: sed multò beatiór obediens, qui minimis operibus ex obedientia factis merita magna consequitur. Est obedientia sicut signum monetæ, quo apud omnes in pærio habetur, & eà quidquid necessarium est, etiam si pretiosissimum sit, sine vilo labore cõemitur. Idque significant verba illa Gerfonis magni doctoris. Propterea censerè debeat pro regula generali illud esse melius, illud pulchrius, illud nobilius, illud vtilius, delectabilius, & honestius, quod est obedientiæ proximum, sit illa res in qua obeditur vilis, abiecta, turpis, inutilis, laboriosa, vana, stulta,

A quantumlibet inhonestæ, solo peccato excluso. Cui concinit Ioannes Thaulerus; cuius hæc est oratio: Felices monachi si in obedientia perseverauerint. Quodlibet namque etiam vilissimum & minimum opus ex vera peractum obedientia, ratione ipsius obedientiæ multò nobilius Deo que longè acceptius est, quàm alia omnia quamlibet etiam magna opera ex propria voluntate peracta: nec aliquod in hac vita humili & obediendi corde charius digniusque Deo omnipotenti sacrificium offerri potest. Quicumque sub obedientia viuunt, semper alacriter & sponte obedire, cunctaque alia siue venias, vt vocat, siue meditationes, siue orationes, siue alia quæcunque quolibet nomine censeantur, interim postponere, misaque facere debent: quo fiet, vt ad humilem sui ipsorum, tam in spiritu, quàm natura, abnegationem resignationemque breui peringant, & purè Deus in ipsis viuat atque nascatur, in eundemque ipsi sine medio ducantur. Vide quàm mirabilis sit huius virtutis nobilitas, siquidem admiranda quadam conuersione vilia opera magni valoris facit, & hominè à morbo propriæ voluntatis sanat, & ex carnali in spiritualem conuertit. Nec solum bona opera parui momenti nobilitat, sed & media seu indifferentia, bona & studiosa facit. Vnde Bernardus ait: Media sunt ambulare, sedere, loqui, tacere, comedere, ieiunare, vigilare, dormire, & si qua sunt similia, quæ si pastoris licentia fiant, summam expectant retributionem. Est igitur obedientia certissimum internæ virtutis indicium, an scilicet bene & secundum Dei voluntatem procedamus, an verò à diabolo seducti nostro proprio iudicio gubernemur. Sic patres illius temporis, vt narrat Theodoretus, & Euagrius, in terno scire voluerunt, an magnus Simeon Stylites, qui in columna vitam agebat, Dei Spiritu duceretur. Miserunt enim ad illum qui ex nomine ipsorum ei diceret, vt modum illum peregrinum viuendi relinquere, & viam à patribus tritam sequeretur, mandarentque vt si obediret, copiam ei insistendi in columna faceret, sin minus eum tanquam illudum ex columna deiceret. Putarunt illi patres, & meritò, obedientiam esse quasi lapidem Lydium, quo aurum verum à falso discernitur, quia eà vera virtus à ficta, & spiritus bonus à proprio vel malo spiritu separatur. Hac cotricula Deus examinavit virtutem Adæ, qua inuentus est minus habens. Hac Abrahæ & aliorum erga se fidelitatem expendit, nullaque est virtus quantumuis abscondita, cuius gradus hac non ratione pandatur.

Obedientia tantæ dignitatis est voti promissione firmata, vt etiam ipsi virginitati præferatur, & abdicationem omnium rerum longè post se relinquat. Nam de illa Augustinus ait: Nemo quantum puto ausus fuerit virginitatem præferre monasterio. De hac verò Hieronymus: Autum deponere incipientium est, non perfectorum: se ipsum offerre Deo, proprium Christianorum est, & Apostolorum. Obedientiam Deus, o mira res, quasi obedientia repensat: nam si quis propter Dominum suis superioribus pareat, ipse Dominus orationes ipsius exaudiens, & vota concedens, veluti ipsius qui obediuit, desideris obedit. Hac virtute Christus à nobis pascitur, & quasi suauissimo cibo operibus obedientiæ reficitur. Vnde Bernardus exponens illud Canticorum: Qui pascitur inter lilia, hæc ait: Sermo Dei veritas est, & ipse sponsus. Noctis hoc, audite cætera. Is cum auditur & minimè obeditur illi: vacuus interim & ieiunus remanet quodammodo, omnino tristis, & querulus, quòd prolatus in vacuum sit. Si autem obeditum fuerit, nonne tibi verbum videbitur in quandam ex-

Thauler. ser. 1. Domi. 3. post Trinit.

Bern. ser. de virtuti. obedientia.

Theodor. Euagrius li. 1. c. 15.

Aug. lib. de virg. tom. 6. Hieron. epist. ad Licinii.

Cant. 2. Bernard. serm. 71. in Cant.

Ansel. li. de similit. c. 24.

Eccles. 47. 3.

Ger. ser. de fide. rationes ad religios. seru. 3.

creui ste

Apo. 3. 20.

Esai. 55. 11.

Ioan. 4.

Mar. 3.

Bonaue't. de gra. viuent. c. 2.

creuisse corpulentiam, quia verbo opus accessit, vt pote refectum quibusdam fructibus obedientie, iustitiae frugibus: Inde est quod in Apocalypsi loquitur: Ecce sto ad ostium & pulso: si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, introibo ad illum, & cenabo cum eo, & ipse mecum. Videtur approbari hic sensus, & apud Prophetam sententia Domini, vbi dicit quod [verbum suum non reuertetur ad eum vacuum, sed prosperabitur,] & faciet [ad quae misit illud.] Non reuertetur, inquit, ad me vacuum vel ieiunum, sed quasi prospere in omnibus agens, saturabitur bonis actibus eorum, qui dilectione acquiescent illi. Denique vsu loquendi sermo impletus tunc dicitur, cum fuerit mancipatus effectui, quod videlicet tandiu inanis, & macer, & quodam modo famelicus sit, donec opere compleatur. Sed audi ipsum quo se dicat cibo ali: Meus, inquit, cibis est, vt faciam voluntatem Patris mei. Verbum Verbi est aperte indicantis esse suum cibum factum bonum, si tamen inuenierit illud inter lilia, hoc est, inter virtutes. Obedientia quoque, quod magis est, iustus, Christi frater & foror, & mater efficitur. Nam & verbum est Domini: Quicumque fecerit voluntatem Patris mei qui in caelis est, ipse meus frater, & foror, & mater est. Frater, quia fideliter a Domino amatur; foror, quia tenerime diligitur; mater, quoniam obedientis exemplo in animas fratrum Christi imitatio transfunditur. Obedientia nos per perseverantiam solidat. Quare Simon, id est, obediens, postea Petrus dicitur, quia vnusquisque per obedientiam quasi in omni virtute solidatur. Obedientia demum, vt Bonauentura ait, est schola Saluatoris, & nobile genus martyrij, & palma triumphalis, & scala paradisi, naus ad caelum transiens, clausis caelum aperiens. Est summa in merito, vicina Deo, & proxima caelo. Est schola Saluatoris, quia ipse obedientiam docuit in mundum veniens, in mundo manens, & de mundo transiens. Est nobile martyrij genus, cum caput hominis amputet, aut actionum eius, id est, propriam voluntatem. Est palma, quia de hostibus victoriam reportat. Est scala paradisi, nam per gradus eius, quos statim numerabimus, iustus in caelum ascendit. Est naus, quia sicut qui est in nauis semper ad motum eius procedit, & semper ipse quiescit: sic qui est in nauis obedientie, semper proficit dormiendo, vigilando, comedendo, abstinendo, ambulando, quiescendo, quia instar nauis non mouetur motu proprio, sed alieno. Est clausis paradisi, quem inobedientia Adam clausit, & obedientia Saluatoris aperuit. Est summa in merito, cum omnia merita nostra contineat; est vicina Deo, cum Christo Filio eius nos similes faciat; est proxima caelo, cum perfectionem, qua in caelum ascendimus, comprehendat. Ex his aliquatenus obedientie dignitas elucet, cuius nunc gradus assignabimus, vt per eos ad caelestem patriam peruenire conemur.

Primus Gradus Obedientie, Voto se Prelato subicere.

CAPVT V.

Ignatius epist. obediens.



BEATVS PATER noster IGNATIVS in aurea illa epistola, quam de virtute obedientie conscripsit, tres gradus eius nos docuit, quibus omnis obedientie perfectio continetur. Pri-

mus, quo religiosus sibi iniuncta, opere exequitur: secundus, quo cum his quae praelatus vult, voluntate concordat: tertius, quo proprium iudicium superioris iudicio submittit. Sanctus Bonauentura aliter hos gradus enumerat, & in quinque ternarios amplitudinem obedientie distribuit. Sed visum est nobis doctrinam tantorum Patrum minutatim partiri, & septem gradibus distinctam, vt melius intelligatur, legentibus ministrare. Primus itaque obedientie religiosae gradus est, velle obedire, & ad vitam ex praescripto alicuius praelati faciendam in religione approbata, se voto constringere. Quem gradum omnes religiosi professi habent, & ad eum tyrones tendunt, nec dum ad professionem admissi. His autem aliqua dicenda sunt, quibus alacriter hunc in finem gradum ascendant, & obedientiae votum emittant. Ac illud primum sit, inobedientiam causam nostrae mortis & calamitatis exitisse. Quia enim primus patens generis humani Deo non obeduit, ideo & sibi & nobis posteris suis mortem mercatus est, dicente Domino: In quocumque die comederis ex eo, nimirum ex ligno tibi vetito, [morte morieris.] Vnde Ambrosius: Nisi fallor, mortis causa inobedientia fuit, & ideo homo ipse sibi mortis est causa, non habens Deum suae mortis authorem. Neque enim si medicus praescripserit aegrotanti a quibus videatur cauendum, atque ille ab interdicitis non putauerit abstinendum, causa ei mortis est medicus, sed vtique ipse sibi mortis reus est propriae. Itaque Deus quasi bonus medicus prohibuit ne Adam nocitura gustaret. Si ergo per inobedientiam mors intrauit in mundum, nos qui mortem fugimus, & vitam aeternam quaerimus, merito obedientiam amplectimur, & ne eam deserat nostra voluntas, vinculo voti subiectioni tanquam firmam columnam ligamur. Est namque homo folio leuior & qualibet palea instabilior, votum autem pro onere illi est, quo naturali inconstantia minime rapiatur, nec iterum inobedientiae mancipetur, & qui seipsum regens, & proprium iudicium & voluntatem sequens, gratiam perdidit, & a paradiso exulauit, merito a se ipso tanquam ab stulto rectore discedit, & alteri, qui nomine Dei ipsum regat, seipsum committit, & iudicium ac voluntatem praelati, suis definitionibus ac desiderijs anteponit. Sic iam incipit diuinam ultionem euadere. Nam Deus non solum in futuro saeculo aeterna poena punit peccatores, sed etiam in hac vita permissione vt suas expleat voluntates sine vlla ambiguitate castigat. Quod sanctus David faretur, dicens in persona Domini: [& dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis.] Ibunt, inquam, post voluntates & consilia sua, quae cum sint Dei mandatis contraria, non possunt illos nisi in mortem adducere.

Ingens malum est propria voluntas, quae non solum morti primum parentem addixit, sed nos quoque singulis diebus perdit, aut in discrimen cadendi constituit. Hanc qui saluari vult, omnino detestatur, sciens quia per eam non in aliud quam in perditionem itur. Quod optime agnoscens beata Collecta, virgo illuminatissima, haec semel ad suas forores, quibus abbatissa praerarat, dixit. Non credo aliam viam fore latiore, nec quae facilius ducat in aeternam damnationem, quam sit propria voluntas: nec aliquam ex opposito breuiorem ad vitam sempiternam, quam sponte renuntiare illi. Quoties hac belua immanis (sic propriam voluntatem voco) nos vulnerauit? quoties nos a gratia excidit, & a Deo separati fecit? quoties in discrimen amittenda aeternae salutis adduxit? Haec est illa herba mortifera, secundum Anselmum, quam patres nostri contra

Bonaue't. de grad. viuent. c. 2.

Genes. 2. 17. Ambros. li. de parad. c. 7.

Psal. 80. 13.

In eius viam. c. 7.

Anselm. ib. de similit. c. 38.

præceptum Domini comederunt, & ex ea primum leprosi facti, & post modum secundum quod eis Dominus fuerat comminatus, mortui sunt. Hanc autem nos comedemus, hanc sine metu vniuersis nostris operibus adiungemus; ut cum parentibus nostris non solum morte corporis, sed etiam morte animæ pereamus? Quid stultius aut perniciosius potest excogitari? Hac est terra inculta & sentibus plena, de qua scriptum est per mysterium: [Spinæ & tribulos germinabit tibi:] Quam noxiam erit, & inutile in ea semen laborum iacere, in qua non poterit ad vitam germinare! Istam igitur belluam obedientia domat; ab hac herba vim occidendi, scilicet proprietatem, tollit, hanc terram à prauis desiderijs purgat, & in terram fructiferam cultamque conuertit. Votum autem ipsam obedientiam firmat, & constantem ac stabilem reddit. Nam si tantum obedio, quia volo obedire, hoc labile est, & cras non obediám, quia voluntatem mutauit, & meum placitum alterius imperio prætuli. At si ex voto necessitas obediendi mihi incumbit, hoc, quia licetè retro ire non possum, stabile est. Estque felix quædam necessitas, quæ compellit ad meliora, quæ ita ligat, ut libertatem homine dignam non auferat, sed meritum merito adiciat. Ita ligat, ut à nexibus inextricabilibus propriæ voluntatis expediat, & in magna libertate constituat. Ita ligat, ut homo se ad malum ligatum sentiat, at ad omne bonum adiutum aduertat. Ideo enim votum obedientiæ nuncupamus, ut voluntatem Dei per nostrum prælarum expositam facientes, in eo quod bonum est & sanctum, solidemur.

Quid homini in mentem venit, cum vitæ religiose se tradit, nisi quod statum mutat, & sæculum relinquit, ut Christum Saluatorem sequatur? Eius autem vita non aliud fuit quam perpetua quædam obedientia, adeo firma & stabilis, ut nulla ratione potuerit ab æterni patris voluntate separari. Denique calicem passionis naturaliter formidans, & ad occursum mortis miram in modum, secundum hominem extimescens, patrisque qui eum à morte potuit eripere, auxilium implorans, semper eius voluntatem vitæ propriæ præposuit. Non, inquit, mea voluntas, sed tua fiat. Tam magnum, inquam, est o pater, tuam facere voluntatem, cuiusque iussis obedire, ut potius eligam acerbissimè mori, quam vel in minimo tuis decretis contraire. Christum ergo sequetur, qui eius fuerit obedientiam imitatus. Quia ad hoc ipse obediuit, ut nos membra eius obedientiæ scientiam addisceremus. Idque significant illa verba Pauli; Et quidem cum esset filius Dei, didicit ex his quæ passus est, obedientiam. Id est, ille qui omnia scit, & quem nihil omnino latet, didicit ex his quæ passus est, obedientiam in nobis; nosque quantum bonum sit obedientia, discere fecit. Hunc intellectum istius loci scripsit Bernardus. Et didicit, inquit, ex his quæ passus est, obedientiam; hoc est, obedientiam didicit in suo corpore ex his quæ passus est in capite. Nam illa mors, illa crux, opprobria, sputa, flagella, quæ omnia caput nostrum Christus pertransiit, quid aliud corpori eius, id est, nobis, quam præclara obedientiæ documeta fuerunt? Christus enim (ait Paulus) factus est obediens patri usque ad mortem, mortem autem crucis. Quæ necessitate? Respondet Apollolus Petrus: Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini, inquit, vestigia eius. Id est, ut imitemini obedientiam eius. Ex his ergo quæ passus est, discimus quanta nos qui puri homines sumus, oporteat pro obedientia perpeti, pro qua is qui & Deus erat, non dubitauit mori. Hanc obedientiam

A discere incipimus, cum obedientiæ votum nuncupamus. Quid enim aliud est nos voto ad parendum adigere, nisi in proposito subiectionis stabiliri, & nostram mutabilitatem pollicitationis obligatione firmare? Ut sicut caput nostrum Christus nullo pacto valuit patris voluntate deserere, ita & nos nec ab ea discordare possimus si peccatum fugere, & si deles Deo esse voluerimus.

Obedientiæ voto illud perfectè completur, quod in oratione Dominica ab ipso Domino postulamus: Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra. Hanc petitionem sic interpretatur Augustinus: Obediatur præceptis tuis sicut ab Angelis, qui sunt in cælo; ita ab hominibus qui sunt in terra. Sed Angeli quomodo obediunt? Ita firmiter, ita stabiliter, ut à præcepto sibi imposto, siue à voluntate sibi domini declarata deuiare non possint. Nec propterea ex necessitate libertatem tollente obediunt, quia non est nisi imperfectio libertatis posse in malum inclinare. Requiritur ergo ut voluntas Dei ita in hominibus sicut in Angelis fiat, quod illi stabiliter obediunt, & aliqua ratione domini voluntatem præterire non valeant. Quæ firmitas licet aliunde dimanare soleat, tamen perfectè admodum à voto prouenit, quo quis se ad exequendam Dei voluntatem à prælato declaratam obstringit. Hoc voto ab illa maledictione liberamur, quæ dictum est in Isaiâ: Sciu enim quia durus es tu, & nervus ferreus ceruix tua, & frons tua area, nam obedientia proteruitatem mentis tollit, & collum nostrum Dei & maiorum præceptis submittit. Quod merito hoc voto decoratum in anima religiosa à Christo laudatur. Collum, inquit, tuum sicut monilia. Sic hunc locum exposuit Orig. Legit ille: [Ceruix tua speciosa facta est sicut redimicula.] & ait: Quæ prius præuaricationis inobediencia turpem fecerat, nunc obedientia fidei speciosam fecit & pulchram. Votum itaque obedientiæ instar monilis est, quod collo appenditur, illudque subigit, sed pectus ipsum exornat. Cor namque spirituales viri hoc monili mirum in modum ornatur, & fidele domino ac iustitia perfectum ostenditur. Illud autem mirabile est, quod obedientiæ votum oppositos & amabiles effectus collo nostro comunicat, nam illud mollificat & obdurat. Mollificat subiectione, qua animam Deo submittit, & obdurat fortitudine, qua imperata licetè difficilia sustinet. Nonne obedientia iugum est? Sed iugum & lorrum, ut ait Ecclesiasticus, curuant collum durum. Nonne turris fortis est? Sed collum obedientis animæ comparatur turri; & in canticis legimus: sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis, & collum tuum sicut turris eburnea. Est turris fortis atque munita, quæ expugnari non potest; & turris eburnea, quia ex obedientia mandatorum insignem acquirat puritatem. Et ecce vna obedientia voto suscepta quam magnorum sit causa bonorum; siquidem & nos pulchros & dociles facit & fortes. Pulchros, quia deformitatem transgressionis auferit, dociles, quia Deo morigeros reddit, fortes, quia vires ad exequendum quæ nobis fuerint iussa, præbet. Efficiamur profecto angelis similes, nam sicut illi stabiliter obediunt in cælo, ita & nos firmiter obediemus in terra.

Iam ergo qui serui Dei perfectè esse volumus, & ad vitam religiosam vocamur, si necdum fecimus, nos Deo per votum obedientiæ subdamus. Auris perforata in antiqua lege signum erat seruitutis. Nam in Exodo scriptum est: Si dixerit seruus, diligo dominum meum, & uxorem ac liberos, non egrediar liber, offeret enim Dominus dijs, & applicabitur ad ostium & postes, perforabitque aurem eius subula, & erit ei seruus in sæculum. Hoc dictum altiori sensu religiosi viri est.

E

Matth. 6. 10. Aug. lib. 1. de serm. domini in monte c. 11.

Isai. 48. 4.

Cant. 1. 9.

Origen. homil. 2. in cant.

Ecl. 33. 27.

Cant. 4. 4.

Cant. 7. 4.

Exo. 21. 5.

Genes. 3. 18.

Hebræor. 5. 8.

Bernard. de gradibus humilit.

1. Petr. 2. 21.

Ipse enim ait: Diligo ego Dominum Deum meum, diligo religiosam vitam, quam in sponsam accepi, diligo filios, merita scilicet, ex tam pulchra spōsa suscepto. Malo in perpetuum seruus Christi esse, quam liber seculi. Qui ita locutus fuerit, praelatis est offerendus, & auri eius perforanda, & quasi aperienda, ut per obedientiam maiori praecepta suscipiat. Adeo namque conditioni serui adiuncta est seruiendi & obediendi obligatio, ut qui hanc non habuerit, seruus esse non possit. Quae obligatio ad opus procedens, nos sanctos facit, & ad eum finem quem quaerimus, scilicet, ad vitam innocentiam, perducet. In cuius signum post restitutam prosperitatem sancto Iobo [venerunt ad eum amici eius, & obtulerunt ei singuli ouem unam, & in aurem auream unam.] In oue accipere innocentiam, in in aure obediētiā. Quid itaq; erit viro isti ouem, & in aurem offerre, nisi obediētiā, & innocentiam sorores esse, patefaceret? Istudque esse mysterium huius loci Gregorius autumat, qui & optimè exponit, quare in auri aurea sit, & quare una ouis tantum & una inauris ab unoquoque amicorum offeratur. Eius verba sunt. Notandum verò est, quod hoc loco cum in aure ouis, cum oue inauris offeratur: quia nimirum innocuis mentibus ornamentum semper obediētiā iungitur, Domino testante, qui ait: Oves meae vocem meam audiunt, & ego agnosco eas, & sequuntur me.] Beato igitur Iob nemo in aurem sine oue, nemo oue sine in aure obtulit: Quia profecto redemptori suo non obedit, qui innocens non est, & innocens esse non potest qui obedire contemnit. Quia verò ipsa obediētia non serui meriti, sed charitatis affectu seruanda est, non terrore poenae, sed amore iustitiae, cuncti qui ad conuiuium veniunt, auream in aurem obtulisse perhibentur, ut videlicet in ea quae exhibetur obediētia, charitas fulgeat, quae virtutes omnes quasi auri amore caetera metalla transcendat. Sed quia nulla esse innocētia, nulla esse vera obediētia in multiplicibus haereticorum diuisionibus potest, ad cognitionem fidei venientes offerant ouem, sed unam, id est tales veniant, qui in unitate Sanctae Ecclesiae innocui, obediētiq; persistant. Vnum quippe diuidi per numeros non potest: quia & hoc ipsum unum quod dicimus, numerus non est. Offerant igitur ouem, sed unam; offerant in aurem, sed unam; id est, ad sanctam Ecclesiam cum innocentia atq; obediētia venientes, eam mentē deferant, qua Sectarum schismata non diuidat.] Haec ille, cuius doctrina in hoc quod de Ecclesiae unitate dicit, ad nostrum propolium contrahi potest. Ut nempe unitas haec inauris & ouis ad congregationis unionem referatur. Obediētia quippe non tantum innocentiae coniungitur, verum & ex ea unitas siue concordia congregationis exoritur. Hanc obediētiā quasi perficimus cum ei votum obediendi praelatis adiungimus. Tuncque usurpamus nobis vocem capitis nostri, sic ad patrem loquentis: [sacrificium & oblationem noluit, aures autem perfecisti mihi.] Cum, inquam, cuperem, o Domine pro immensis beneficiis tuis in gratiarum actionem tibi gratas oblationes offerre; cumque viderem sacrificia & oblationes piorum operum non satis sufficere, tibi decreui me ipsum offerre, & per obediētiā votum, aures fossas, apertas, & purgatas immolare, ut semper vocem tuam audiam, & quaecumque per praelatos iusseris, sine vlla contradictione perficiam. Ab hoc igitur gradu obediētia religiosa incipit, quae nimirum hominem religiosum constituit, ut voto quis propriam voluntatem praelato subiciat, seque

Iob. 42. 21.

Greg. 31. mor. cap. 104.

Leu. 10.

Psal. 39. 7.

A ipsum totum propter Deum alteri regendam & gubernandam tradat.

Secundus Gradus Obedientiae, Votum subiectionis nuncupatum implere.

CAPVT VI.



X Hoc primo obediētiā gradu, qui religiosi nomen indignè non habet, ad secundum ascendit, ut scilicet si votum obediētiā emisit, votum impleat, & in rebus sibi praeceptis obediāt. Is sine dubio aliquem praelatum habet, & quisquis ille sit, siue nobilitate praecipuus, siue ignobilitate fordidus; siue ignarus, aut scientiarum adoptione conspicuus, ius habet multa subditis praecipendi; & in his quae potest ipse mandare, debet subditus ut votum impleat, & hunc gradum obediētiā habeat, humiliter obedire. Quod si quis non obediāt, praesertim in re graui, iugum sibi à Deo impositum frangit, & contra id quod debet, iuris sui esse contendit. Cum Samuel iubente Domino unxisset Saulem in regem, [dixerunt filij Belial: Num saluare nos poterit iste? & despexerunt eum.] Sic non sunt religiosi merito & vita, sed filij Diaboli, qui praelatum rite electum non audiunt, & illi parere contemnant. Ille eos saluare poterat, & salutaribus praecipis instituire, & in caelum dirigere. Quia verò illi non se subiciunt, in his ad quae tenebantur, salutem, si in malo perseverauerint, nequaquam consequuntur.

B

C

D

E

Horum merita poenam Salomon pulchra circumlocutione describit. Oculum, ait, qui subannat patrem, & qui despiciat partum matris suae, suffodiant eum corui de torrentibus, & comedant eum filij aquila. Quisnam subannat patrem suum? Qui turgidus superbia non obedit praelato suo? & quis despiciat partum, id est laborē in pariendo siue parturitionem matris suae? Qui ut suae voluntati satisfaciat, non obediendo, disciplinam religiosam subuertit. Hic dignus est qui in crucem agatur, immo qui in aeterna supplicia destinetur, ubi demones peccati nigredine cornu, & rapacitate aquilis similes, oculos eius effodiant, ut solem iustitiae non videant, & omnia eius bona carnibus similia disperant. An non fur, si rem magni valoris surripiat, legibus ita statutibus, in crucem agitur, siue furca suspenditur? Sed fur est, & rei magni valoris, scilicet voluntatis Deo consecratae usurpator, qui praelatis non obedit. Ideoque Bonauentura ait: Te praelato dedisti propter Dominum, & propter regnum caelorum, & iam non es tuus, sed eius, cui te vendidisti, & ideo nihil tibi licet agere de te sine eius voluntate. Ipse enim est Dominus voluntatis tuae, & contentatio rei alienae inuito domino, furtum est, furtum autem caelo non appropiat. Omnibus fidelibus praecipitur ut maioribus obediāt: & Petrus, ait: Serui subditi estote in omni timore domino non tantum bonis & modestis, sed etiā dyscolis. Si verò isti poenam subeunt, si ab obediētia se subtrahant, quanto maiori poena erunt digni religiosi, qui non tantum communi obligatione, sed etiam speciali voto obedire tenentur? Praecipit Saul ne quis aliquid gustaret usque ad vesperam quousque vlcisceretur de inimicis suis, & praecipit insipienter, ut Iosephus, & Theodoretus putant, & septuaginta

Greg. 10. 27.

Primer. 30. 17.

Bonauent. tract. de inferiori homine c. 2.

1. Petr. 2. 18.

Ios. 2. 11. Theod. 31. m. 1. Reg.



latis inlinuant. At vniuersus populus simpliciter & reuerenter obediit: solus Ionathas præceptum fre-
 git, & periculum mortis incurret. Audiuitq; à patre:
 Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, quia morte
 morieris Ionatha:] & mortem quidem subiisset, nisi
 cum populus obediens liberasset. Sic nõ semel com-
 munitibus fidelibus obedientibus, filius, id est religio-
 sus, suæ regulæ præcepta transgreditur, & propterea
 nisi ab obedientibus liberetur, dum ad sui ipsor-
 um imitationem trahitur, mortis pœna multatur.
 Hic itaque secundus gradus obedientiæ nõ est
 supererogationis, sed necessitatis, à quo in re graui
 deficere non est aliud quam damnationem prome-
 reri. Sed iam quid nos oporteat facere, vt votum
 obedientiæ impleamus, explicandum est. Quod
 breuiter Thomas Aquinas & Bonauentura explica-
 rant, eorundem sententia sic colligenda est. Voto
 obedientiæ tenemur ad præcepta regulæ, ad ea scilicet,
 quæ nobis nõ tantum vt cõsilia, vel vt rectè vi-
 uendi documenta, sed vt expressa mandata propo-
 nuntur. Hæc fere sunt in omnibus religiosis familiis,
 ne quid proprium habeamus, ne aliquid contra ca-
 sitatem admittamus, ne præceptum aliquod Dei
 aut Ecclesiæ transgrediamur, & siquid aliud pro reli-
 gionis diuersitate sub interminatione peccati grauis
 iniungitur. In quibus à regula deuare, ex genere gra-
 ue peccatum est, nisi aut materia leuitas aut subre-
 ptio ab enormitate peccati grauis excuset.

Obligat etiam obediæ votũ illud exequi, quod
 prælati iuxta regulã, seu institutũ, non tantum con-
 suluerit aut suaserit, sed manifestè præcepit, & ad
 executionem eius obligare voluerit. Si enim aliquid
 tantum suadeat, si consulat, si moneat, & obligare nõ
 intendat, seculo scandalo non erit peccatũ non obe-
 dire, licet imperfecto sit, nisi causa nõ leuis momenti
 subit, eius monita detrectare. Cum enim in prælato
 sit autoritas præcipiendi, quæ regula mandato in-
 iungi voluerit, & in subdito sit obligatio parendi, nõ est
 vnde hic non obediens peccato se liberet, si ille in
 veritate præcipiat. Et id significant illa verba Deute-
 ronomij: Qui superbierit, nolens obedire sacerdotis
 imperio, qui eo tempore ministrat domino Deo tuo,
 & decreto iudicis, morietur homo ille, & auferes
 malum de Israhel.

Si verò illud quod subdito iniungitur leue sit,
 paruique momenti, & tamen non solum suadeatur,
 aut ordinetur, sed verè præcipiatur, votum obedi-
 tiæ obligat ad illud exequendum, si non sub peccato
 graui, at sub peccato veniali. Quoniam si superioris
 præceptũ inestet, non facere quod iniungitur, inobe-
 dientia est. inobediencia verò à peccato saltè leui ex-
 culari nõ potest. Non autem erit graue peccatũ, quia
 materiæ circa quã delinquitur, paruitas peccati graui-
 tate tollit. Quã rem latè & sapièter Bernardus pro-
 sequitur, & inter alia sic ait: Quamobrem nõ video
 cur ita omnem inobedienciam & transgressionẽ, vel
 minorum quorumlibet mandatorum, exaggerandã
 putaueritis, vt exclamaretis: Quod ergo iam mo-
 nacho poterit veniale peccatum esse, vel leue,
 cuius vniuersæ actioni crimen insidiatur inobedi-
 entia? Sed hoc inde videlicet constare creditis, quod
 prælatorum iussionibus tantum tribuendum asserit-
 ur, quantum si diuinitus traderentur. Quasi verò &
 ipsa Evangelica præcepta nõ multum inter se discre-
 pent, & merito obseruationis, & transgressionis peri-
 culo. Caterum sicut nõ omnia vnus esse cõstat, vel
 necessitatis, vel vtilitatis, vel dignitatis; sic nõ vna de
 omnium transgressionẽ fertur sententia; nec paria
 manent discrimina dispares culpas. Porro nec pari
 culpa negliguntur, quæ non pari cura præcipiuntur,

A nec pari proinde pœna punitur. Ecce enim Euange-
 lium, tã flagitium crapula, quã fornicationis tur-
 pitudinem damnat. Verum quis magis non horreat
 ex duobus malis, turpitudine foedari, quã cibo
 exaturari? Nonne denique ventas in Euangelio sub
 nominibus trabis, & festuce, graues leuèque discer-
 nit inobediencia culpas? Nonne ipso disputante,
 immo definiente, gradatim nobis distinguitur, quæ
 cuique reatui pœna debeatur, dum alium iudicio,
 alium consilio, alium & gehenna reum esse prote-
 statur? Quanam ergo consequendi necessitas cogit,
 vt si magistris diuina detur in suis præceptis autori-
 tas, nullum ideo iam monacho leue, aut veniale
 peccatum inueniri posse putetur: & quod eius
 vniuersæ actioni crimen insidiatur inobediencia?
 B & post multa; Traduntur igitur à prælatis inter-
 dum minora mandata, quorum transgressio leuio-
 ra secundum regulam parit & peccata, & tamen in
 Deum nihilominus præuaricatio fit, quoties Abba-
 tis iussio præteritur. Siquidem ex ore ipso Dei non
 aequalia sunt promulgata, & ideo non aequali cun-
 cta vigilantia obseruanda: sed alia cura exhibenda
 est ei proculdubio quod ipse perhibet primum &
 maximum mandatum, alia his quæ alibi discernens:
 Qui soluerit, inquit, vnum de his minimis meis
 mandatis.] Quid ergo? audiuius ex regula gra-
 uiores & leuiore culpas, legimus & in Euangelio
 maxima minimaque mandata: & madorum trans-
 gressiones vniuersas dicemus aequaliter maximas?
 Non est igitur necesse vt concedam quod dicitis,
 aut Deo scilicet non tribui omne quod ab homine
 magistro accipitur, quod non sit contra Deum, aut
 monacho nullum inueniri posse leue, seu veniale
 peccatum: quia etsi toties Deo (quod fatendum
 est) inobediens esse contineatur, quoties eius qui
 pro Deo sibi præest, hominis mandatum, quod qui-
 dem iustitiæ non repugnet, prætergreditur: sicut ta-
 men non par cura in executione exigitur: sic nec
 par culpa contrahitur ex transgressione. Etsi quippe
 vnus est qui offenditur, non tamen vnus ponderis
 quæ iubentur, nec vnus subinde discriminis iussio-
 rum est omnium censenda transgressio. Hactenus
 Bernardus.] Sed quando hæc leuia nõ præcipiuntur,
 non erit peccatum illa ex aliqua causa omittere,
 si contemptus desit, & nullum scandalum aut offen-
 sio futurum sequatur.

Insuper obligat obediencia votum ne quis
 aut regulæ, aut superiorum mandatis ex contemp-
 tu contraueniat. Debet enim qui obediencia vo-
 tum emisit, vitare secundum præscripta regulæ, &
 maiorum instituta, superiorumque mandata, in
 quo manifestè continetur tamquam initium alio-
 rum, huiusmodi instituta & mandata non asperna-
 ri. Ille autem ex contemptu regulam aut præce-
 ptum violat, qui non ex ignorantia, aut ex negli-
 gentia, aut ex infirmitate & immoderantia passio-
 nis, sed ex malitia iniuncta sibi transgreditur. Aut
 ille qui eo sine regulam aut præceptum violat, vt
 ostendat se ea nihili facere.

Iste autem contemptus in re graui semper
 grauissimum peccatum est. In re autem leui si
 non contemnatur regula, nec prælatus ipse, aut
 potestas eius, sed aut ineruditio & morositas
 prælati, aut certe materia ipsa præcepta, quia leuis
 est, fortè non erit graue peccatum. At sa-
 tis infelix erit ille religiosus, & ab omni de-
 siderio perfectionis alienus, qui hæc audeat, &
 vel minima sibi iniuncta contemnat. Certè Ber-
 nardus contemptum à grauis peccati malitiã num-
 quam liberat. Sic enim scribit: Hæc ergo generalis

Matth. 5
6.

1. Reg. 14
44.
D. Thom.
2. 2. q. 186
ar. 9.
D. Bona.
44. q. 2.

Deute. 7.
12.

Bern. de
precep. &
disp. c. 144.



regula sit vniuersorum quæ per se, aut propter se, nec bona, nec mala sunt, aut diuina institutione, aut propria cuiusque professione fixa non sunt, vt non iusta quidè licitè, vt ùlibet, vel admittatur, vel omittantur; iusta verò, sine culpa nõ negligantur, sine crimine non contemnantur. Vbique enim & culpabilis neglectus, & contemptus damnabilis est. Differunt autem quòd neglectus quidem languor inertia est, contemptus verò superbia tumor. Porro contemptus in omni specie mandatorum pari pondere grauis, & communiter damnabilis est: neglectus autem in fixis grauior, tolerabilior in mobilibus mandatis. Hæc ille.] **A**uthoritas autem tanti doctoris satis est vt omnis contemptus etiam in minimis euitetur. &, si timorata conscientia non est, qui leue peccatum ex certa scientia aut malitia committit, quantò minus ille erit, qui audet illud facere, quod etiam in re minima multi doctores non minimum, sed graue putarunt?

Bern. 6. e.

Si prælatus absque causa aliquid præcipiat aut contra regulam, aut supra regulam, aut infra regulam & illicitum, vorum obedientia ad parendum non obligat. Hinc etiam Bernardus ait: Prælati iussio vel prohibitio nõ prætereat terminos professionis, nec ultra extendi potest, nec contrahi citra. Nihil me prælatus prohibeat horù quæ promisi, nec plus exigit quàm promisi. Vota mea nec augeat sine mea voluntate, nec minuat sine certa necessitate.] & quidem cum prælatus, sit custos disciplinae, non potest subditù præcepto cogere, vt eam deserat: & cum subditus se voto constringit ad obediendù secundum regulam, non potest mandato compelli, vt aliquid supra regulam reddat. Id autem intelligitur sine causa; nam si iusta & rectè rationi consona causa subit, potest prælatus dispensando rigorem instituti lenire, & subditus debet relaxationem admittere. Potest etiã austeriora quàm regula habeat, mandare, siue in poenam criminis, siue vt medium ad seruanda vota vel ad vincendam grauem tentationem, siue pro communi Ecclesie aut congregationis necessitate, & subditus similiter tenetur obedire. Cum autè dixerimus religiosum teneri ad obediendum præceptis quæ sunt secundum regulam vel institutum, sciendum est, hinc secundum varia instituta diuersam obediendi obligationem exoriri. Nam cum constitutio societatis nostræ habeat, vt obediamus in omnibus, vbi manifestè peccatum nõ cerneretur, obligatio obediendi in nobis ad omnia se extendit, quæ superior voluerit præcipere, modò peccata non sint. In aliis autem religionibus obligatio parendi ea continebit, quæ regula disposuerit. Quæ si dixerit, vt omnes obediant in his quæ sunt secundum regulam, ad nihil aliud poterunt religiosi obligari. Cum etiam dixerimus, causam iustam intercedere debere, vt superior aliquid infra aut supra regulam possit præcipere, intelligendum est, in dubio an causa sit iusta, superiori fauendum esse, cum possideat mandandi potestatem, & subditus se abdicauerit per votù propria voluntate. Nisi aliquod graue dånium in persona, rebus, vel honore ei cui præceptum imponitur, vel alteri timeatur: tunc enim fauendum esset subdito, nisi de iusta causa præcepti manifestè constiterit. Similiter si dubium esset de potestate prælati, an scilicet eò vique se extendat vt possit hæc vel illa præcipere, subditus donec vincatur hoc dubium, non tenetur mandatis parere.

3. p. consp. c. 1. n. 23

At si prælatus iuberet peccatum manifestum fieri, nullo modo obediendum est ei. Nihil enim potest ipse præcipere iuste contra præcepta Dei vel Ecclesie, vnde nec licet illi in illicitis obtemperare. Vn-

de Gregorius ait: Sciendum verò est, quòd nunquam per obedientiam malum fieri, aliquando verò debet per obedientiam bonum, quod agitur, intermitteri. Neque enim mala in paradiso arbor extitit, quam Dominus homini ne contingeret, interdixit. sed vt melius per obedientia meritum homo bene conditus cresceret, dignum fuerat, vt etiam à bono prohiberetur: quantenus tanto verius hoc, quod ageret, virtus esset, quanto & à bono cessans auctori suo se subditum humiliter exhiberet.] Licet ergo hoc præceptum prælati bona non mandata à Deo, vel Ecclesia possent omitti, at malum nulla ratione debet fieri. Atque adeo hic secundus obedientia gradus id postulat, vt præceptis superiorum nostrorum obediamus, & nihil eorum, quæ mandata sunt, siue magna siue minora, prætereamus. At hæc obedientia, quæ exterius mandata implet, si nihil aliud habeat, valde imperfecta est. Quam vt imperfectam reiecit Paulus, dicens: Obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum seruientes quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis.] Cum enim simplicem obedientiam illi, quæ ad oculum est, opponat, aperte hæc, quæ præsentiam prælati intuetur, & solum opus exterius præstat, imperfectam existimat. Quare Anselmus eundem locum exponens, ait: Non in duplicitate seruite dominis, sed ita vt quod foris in opere ostenditur, intus in corde habeatis, timentes dominum, qui inspector est cordium, & damnator dolosorum cogitationum.] Talis obedientia quæ exterius quidem præcepta implet, interius verò repugnat, & animo contradicit, est obedientia titremium & remigantium, in eis quos aliquando vidi exterius quidem celeritè iussa exequi, verbis tamen & corde gubernatori maledicere. Hos imitantur qui exterius obediunt, & interius mente obedientia contradicunt. Vnde ultra procedendum est ei, qui per iter obedientia ad perfectionem venire festinat.

Greg. 35. mor. c. 10.

Collessen. 3. 22.

Anselm. ibid.

Tertius Gradus Obedientia, quæque iniuncta, etiam absque præcepto exequi.

CAPVT VII

SANCTARVM religionum prælati nec præcipiunt, nec possunt, nec debent strictè præcipere omnia quæ à subditis sũt, sed multa sine præcepto iniungunt, & facienda aut omittenda præscribunt, quæ præterire, modò aliàs peccata non sint, peccatù non erit, modò scandalum fratrum, & contemptus rei iniunctæ aut prælati iniungentis desit. Quòd non omnia præcipiant, ipse vsus (vt credo) omnium familiarum religiosarum ostendit. Quòd verò nec præcipere possint nec debeant, inde patet, quòd religiosa vita o-nus esset importabile, si omnia tum minora tum maiora stricto præcepto iniungerentur, ab ea suauitas & securitas tolleretur, & tam innumeris præceptis laqueus conscientia religiosorum insteretur. Hæc ergo ita à superioribus ordinantur, aut præscribuntur, vt ea facere obedientia magni meriti sit, ea autem sine contemptu omittere talis sit inobedientia (si ita vocari potest) quæ quia contra præceptum non est non culpam sed poenam inferat. Ad hæc autem implenda etiam obedientia virtus & perfectio se-

exten

extendit, quæ constans est patrum doctorumque sententia. Nam Thomas Aquinas ait, eorum quæ continentur in regula, quædam esse præcepta, quædam verò ordinationes obligantes ad pœnã. & Bonaventura. In duobus erit subiectæ probatio voluntatis, si videlicet in iniunctis deuotè obediat, & in agendis suis semper habere auctoritatem obedientiæ non omitat. & Trithemius. Aliter loquendum est de obedientia exigenda prælato à subdito religioso, secundum obedientiæ perfectionem, atque aliter secundum necessitatis obligationem. Si loquamur de ipsa summa perfectione, sic dicendum est, quod sicut ait Bernardus, perfecta obedientia finem nescit, & perfectus obediens non solum in iis quæ mandat, sed etiam super ea quæ mandat, promptum habet affectum ad subiaccendum præcepto prælati, desiderans illum imitari, qui humilissimum factus est obediens usque ad mortem. Et hæc obedientia superabundans est, ut dictum est supra capite de obedientia. Si autem loquamur de obedientia secundum necessariam obligationem, sic habet terminum & mensuram iuxta magnitudinem voti emissi.] Audiamus tamen Bernardum, quem præfatus doctor citat, hanc rem luculentissimè explicantem: Cæterum subiectus huiusmodi obedientiam quæ voti finibus cohibetur, nouerit imperfectam. Nam perfecta obedientia legem nescit, terminis non arctatur, neque contenta angustus professionis, largiori voluntate fertur in altitudinem charitatis, & ad omne quod iniungitur spontanea, vigore liberais alacrisque animi modum non considerans, in infinita libertatem excedit. Hæc est illa, de qua signanter Apostolus Petrus, Castificantes, inquit, corda vestra in abundantia charitatis,] pulchre ipsam per hoc sequens, ab illa meriti & seruilis obedientia quodammodo, nec charitati prompta, sed obnoxia necessitati. Hæc iusti illius cui lex posita non est, propria est, non quod vel ille præfectus viuere debeat sine lege, sed quia non sit sub lege: minime quippe contentus voto sue cuiuscunque professionis, quam superat animi deuotione. Quamquam nec istam regulam ipsa tacuerit, ubi monet, si fratri impossibilia iniunguntur, vt considerens de adiutorio Dei obediatur ex charitate. In eadem denique regula tertius humilitatis describitur gradus, vt omni obedientia monachus se subdat maiori. Dicens quippe, omni non vult nos in obediendo mensura esse contentos professionis, non attendere promissi debitum, non de pacto sumere modum, sed transire alacriter etiam votum, & obedire in omnibus.]

Cum igitur obedientiæ virtus ad non mandata se extendat, tertius gradus obedientiæ est, cum quis in omnibus superiori pareat, licet illa non præcipiantur, sed aut verbis, aut nutibus, aut sola voluntatis significatione ordinentur, & de hoc gradu dixit Albertus: Verus obediens numquam præceptum expectat, sed solum voluntatem prælati sciens vel credens, feruenter exequitur pro præcepto, exemplo Domini nostri Iesu Christi, cui voluntas & complacentia patris summum præceptum fuit.] Salomon verbis Domini absque præcepto obediuit. Sciens enim dictum esse ab ipso Domino Dauidi patri suo; Suscibebo semen tuum,] id est, dabo tibi filium; [ipse ædificabit domum nomini meo;] obtento regno domum illam magnificam ad Domini honorem extruxit. Nutu Domini vt nos doceant, res ipsa sensus expertes obtemperant. Nam & Eldras scribit, quod [aqua mura & sine anima, quæ Dei nutu iubebantur, animalia factæ.] & Iob: [Columnæ cæli, id est, montes qui

A ita videntur erigi, vt cælum sustentent, [contremiscunt, & pauent ad nucum eius.] Voluntatis Domini internæ significationi se subiecit in primis Virgo dei-para, quæ cum purificationis lege non teneretur, quia virgo & sine seminis susceptione conceperat, sciens tamen pergratum esse Domino, vt legem illam impleteret, elapsis diebus ad foeminarum purgationem destinatis, ascendit in Hierusalem vt filium suum listeret Domino, & legem pro omnibus aliis puerperis non pro se latam obseruaret. Deinde Paulus, qui potens ex Euangelio viuere, sicut & cæteri Apostoli, vt magis se Dei voluntati summam perfectionem ab eo exigenti accommodaret, voluit sine vilius acceptione elemosynæ euangelizare. Vnde ait; Quis militat suis stipendiis vnquam?] Si alij potestatis vestræ participes sunt, quare non potius nos? Sed non vsi sumus hac potestate, sed omnia sustinemus, ne quod offenculum demus Euangelio Christi.] & postea; Si euangelizauero, non est mihi gloria; necessitas enim mihi incumbit: vae autem mihi est si non euangelizauero.] Quæ est ergo merces mea? vt euangelium prædicans sine sumptu ponam euangelium Christi.] Ac tandem discipulus dilectus Ioannes: Audiens namque Dominum dicentem Petro; sequere me: Quod sibi non præcipiebatur, gratum tamen Domino putabatur, est exequutus. Quare Petrus videns illum sequentem, interrogauit; Hic autem quid? Hic discipulus sequens, non ad præceptum sed ad significationem Christi voluntatis sequens, eos carpit, qui semper volunt ad obediendum præceptis virgeri.

E contra perfecti Christum ipsum Saluatorem imitantes, qui semper se morigerum voluntati patris exhibuit, & Deiparam ac Apostolos sequentes, illa faciunt quæcumque superiores iniungunt, licet non alstringantur præceptis. Hos nos sequi debemus, si ad eorum perfectionem aspiramus. Si prælati aliquid verbis faciendum iniungant, & non præcipiant, sed magis rogent, & obsecrent, more Pauli dicentis; Obsecro vos, vt dignè ambuletis;] obediendum illis est. Si nutibus & signis quidpiam operis executioni mandandum ostendant, obtemperandum est. Si etiam signis abstineant, & aliqua ratione nobis eorum voluntas innotescat, parendum est. Non ex obligatione, sed ex amore, non ex debito, sed ex supererogatione, quia ita decet vt filij patribus se subiciant, & eis, qui locum Christi tenent, veri Christi amatores obediant. Nec totum hoc (si æqui astimatores sumus) supererogatio est, quia satis inordinata esset illa communitas, in qua nihil sine præcepto stricto maioris fieret, & nemo nisi esset bellua rationis expertus, sine stimulo præcepti, & virga pœnæ ad aliquid faciendum commoueret.

Hæc igitur obedientia; qua simplici voluntati prælati quisque subicitur, à Tabennesiotis monachis accuratissimè seruabatur, quorum cenobij vnus Cassianus mentionem faciens, ait: Si quidem in eo plusquam quinquè millia fratrum sub vno Abbate reguntur, tantæque obedientiæ hic tam prolixus monachorum numerus omni ætate seniori subiicitur, quanta non potest apud nos vnus vni vel obedire pro modico tempore vel præesse.] Hancque obedientiam videtur Salomon commendasse. Nam, acceptus est, inquit, regi minister intelligens.] Ille scilicet qui antequam præceptum regis audiat, eius voluntatem agnoscit, & quali tali voluntate formatus, eam prudenter exequitur.

D. Tho. 2. 2. q. 126 ar. 9. ad 2

Bonau. in speculo. 1. p. 4.

Trithem. ad regu. 7. grad. 8.

Bern. de præc. 2. dispensat. 6. 9.

1. Petr. 1. c. 1. Tim. 1. a.

Albert. de virtut. 6. 3.

2. Reg. 7. 13.

2. Esdr. 6. 48.

Iob. 2. 6. 11

Luc. 2. 22

1. Cor. 9. 7.

2. 12. 7. 16. 18.

Ioan. 21. 19.

Ephes. 4. 1

Cassian. lib. 4. de inst. c. 1.

Prout. 14. 35.

D.Th. 2. 2
q. 104. ar.
tic. 2. cap.
et ad 2.

Thomas etiam Aquinas doctor veritatis, eam merito obedientia prefert, que mandatū expectat. Tanto, inquit, videtur obedientia promptior, quanto expressum præceptum obediendo prævenit, voluntate superioris intellecta. & postea. Obiectum obedientia est præceptum superioris cuiuscumque expressum, vel interpretatum, scilicet simplex verbum prælati; eius indicans voluntatem, cui obedit promptus obediens.] Obedientia itaq; non solum præceptum respicit, sed simpliciter prælati voluntatē, cui se subicere, cum ex maiori amore & humilitate & reverentia procedat, maiora habet signa obedientia perfectæ.

Ad Tim.
3. 4.

Paulus certè hanc simplicem ac promptam obedientiam ab omnibus fidelibus videtur exigere. Admone illos, inquit, ad Titum, principibus & potestatibus subditos esse, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos esse. Hortare, inquam, ne tantum præcepto, sed etiam simplici dicto superiorum obediāt, & parati sint ad omne bonum, quod illi fieri voluerint. Si autem hoc est communium fidelium, quanto magis erit religiosorum, quorum est subiectio maior, & obedientia perfectior? Si qui mundo huic præfunt, inquit Basilii, & ex lege humana illam imperandi potestatem habuerunt, eis divina lex pietatis cultores tātore voluit esse subiectos, & quod maius est, quorum vita tota nunc erat impietas; quam magna tandem ei à pietatis cultore præstanda obedientia est, qui à Deo constitutus prætes sit, & imperandi potestatem à legibus illius acceperit? & qui defendi potest, eū non Dei ordinationi resistere, qui antistiti resistat suo; præsertim cū apertissime Apostolus iubeat omni in te parandum esse spiritualibus præpositis? Certè fidelis obediens, ut Bernardus ait, nescit moras, fugit crastinū, ignorat tarditatem, præcipit præcipientem, parat oculos visui, aures auditui, linguam voci, manus operi, pedes itineri, totū se colligit, ut imperantis colligat voluntatem. & paulo antea dixerat. In mediis subditi esse & obediens debemus ad nutum præpositorum, nihil interrogantes propter conscientiam, quia in his nullum præfixit opus Deus, sed prælatorū dereliquit imperio disponenda.] & Bonaventura. Quinimmo nec bonus obediens verbum expectat, ubi de superioris sibi consistit voluntate. Illum autem optimū dixerim obedientia gradū, cum eo animo opus iniunctū recipitur, quo & præcipitur, cum ex voluntate iubentis pendet intentio exequentis.] Hoc itaq; vera ac perfecta obedientia petit, ut præceptū maioris non expectemus, sed voluntati eius pareamus. Nam qui tantum ad præceptum obtemperat, & in aliis sui iuris esse cupit, is in paucis suam voluntatem franget, & nunquam ad veram sui abnegationem perveniet.

Bern. ser.
de virtute
obediētia.

Et quidem hoc sæpe animadvertimus esse religiosi perfecti & imperfectique discrimen. Quod hic, præterquam in rebus maioris momenti, quæ solent stricto præcepto iuberi, pro sua voluntate vult omnia disponere. Fugit maioris aspectum, ne aliquid sibi iubeatur: & sicut fur iudicis aspectum declinat, ne gemam quam furatus est, auferat, & pro admisso facinore puniat, ita & iste à prælato se subtrahit, ne propriam voluntatem, (quam postquam semel Deo obtulit, iterum furto ablatam habet) deponat. At perfectus in omnibus tum maioribus, tum minoribus, vult à prælato dirigi, & sine præcepto sola eius voluntatis ostensione gubernari. Itamque debere esse veri religiosi curam docet Basilii sic scribens: Potestatem verò sui ipsius ne ad punctum quidem temporis habere monachus debet, per quam in privatis ipse negotiis suis versetur. Quemadmo-

Basil.
conf. mo.
nastr. c. 28

A dum enim absente artifice instrumentum sua sponte ipsum non moveretur, neque membrum, vel ad brevissimum tempus ab aliquo corpore separari, moveri vel possit, sine eius qui intus est, opificis, ac totius corporis moderantis voluntate: similiter quoque neque religionis observanti aliquid agere, exequi vel sine Anstis sui sententia licet. Sic ille.] Hanc Basilii regulam custodientes, in omnibusque prælati voluntati se accommodantes, multis tentationibus ac periculis se liberant, quia prælatus rationem redditurus est eorum quæ ipsi gesserint. Sunt hi suis maioribus amabiles, nam eos habent instrumenta aptissima ad omnia illa exequenda, quæ ad promovendam disciplinam, & bonum ordinem domus servandam apta existimaverint. Fiant etiam fratribus chari, cum illos videant secundum præscriptum ordinis (nam hoc prælati semper iniungent) & ex regula virtutis se gerere. Eorum vita exemplar virtutis est, quam non præserto voluntas hominis carnaliter viventis dirigit, sed voluntas maiorum, non aliud quam opera virtutis exigentium regit. Ita ergo in religiosa vita procedamus oportet, ut in omnibus ductum prælati sequamur, & præceptis cogi, & pœnis compelli non expectemus. Sufficiat nobis eius quoquomodo ostensa voluntas, ut nostrum sensum & voluntatem posthabentes, illa ad bonum incitemur. Sic implebimus mandatum Domini, quod in Deuteronomio scriptum est [& facies quodcumque dixerit qui præiunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te, iuxta legem eius, sequerisq; sententiam eorū, nec declinabis ad dexteram, nec ad sinistram. Hoc inquam perfectè implebimus, quia non iam secundo gradu obedientia contenti, quo nos mandatis tantum ad quæ tenebamur submitimus, ad tertium assurgimus, ut etiam simpliciter, & sine mandato, iniuncta humiliter impleamus.

Deut. 17.
10.

Quartus Gradus Obedientiæ: Quolibet modo nobis iniuncta ritè perficere.

CAPVT VIII.

D Væ in tribus prædictis gradibus dicta sunt, ad substantiam operis externi obedientia pertinent, ut scilicet & faciendam voluntatē Domini per prælatū explicatam nos per vorum consecremus, & ut qui quid iniunctum fuerit siue stricto præcepto, siue ordinatione simplici, faciamus. Nunc quartus hic gradus modum operi obedientia præscribit, ut debito modo & cum necessarii circumstantiis perficiatur. Has autem spiritualiter doctores non eadem ratione aut numerant, aut declarant. Nam Gerson de conditionibus obedientia hæc scribit: Oportet ut ipsa obedientia sit constans, sit vera, sit hilaris, sit affectuosa. Constans illorum obedientia non est, qui ad ea, quæ sibi placuerint, tantum obedire proponunt. Vera illorum obedientia non est, qui pro lucro, vel commodo temporali obediunt. Hilaris illorum obedientia non est, qui cum murmure, vel responsione, nolentes, quæ iubentur, perficiunt. Affectuosa illorum obedientia non est, qui etsi respondere non audēt, rancorem tamen & malevolentiam, in pectore versant.] Humbertus verè hæc: ut obedientia vestra omnipotenti Deo sit acceptabilis, studeat quisq; habere promptam sine delatione, deuotam sine dedignatione, voluntaria sine contradictione, simplicem sine discussionem, ordinatam sine deviationem, incunctam sineurbationem, strenuam sine pusillanimitate, vniuersalem sine exceptione, perseverantem sine cessatio

Gerson.
tract. de
verbis Do.
mini.

Humbert.

cessatio

cessatione.] At Bernardus & Laurentius Iustinianus septem conditiones obedientiæ requirunt, quas Bernardus præsertim latissimè tractat, & qui eas strenuè custodierit, satis huic gradui obedientiæ satisfaciatur. Eaque nunc nos persequemur, ut qualiter prælati obedientium sit, ex tam sanctissimorum doctorum ore discamus.

Quicumque itaque vult hunc quartum sanctæ obedientiæ gradum ascendere, enitatur primò obedire libenter. Ille libenter obedit, qui sui cordis repugnantiam vincit, prælati mandatis repugnantis, & ex animo ac cum bona & prompta voluntate quod sibi iniunctum est perficit. Is verè dicit Domino: *Voluntariè sacrificabo tibi, & cõstitor nomini tuo Domine, quoniam bonum est:* Nam spontaneus suorum laborum dator effectus est ipsum obedientiæ præparat, ut Dei laudes exteriùs prædicet, & interius ipsius Domini bonitatem collaudet. Hic de prælato dura aut difficilia iubente non detrahit, quia ex prompta voluntate omnia, quæ imperatur, prona & rationi consona censer. Hic se ipsum cogit, ut nihil aliud fieri aut non fieri velit, nisi quod prælatus aut operi mandari, aut omitti, & non fieri præscripserit. Hic tandem se ipsum vincit, quia propriam voluntatem, cui inceptè subiectus est, alterius propter Dominum voluntariè submittit. Ut enim ait Bernardus: Omnis ætas ab adolescentia sua prona est ad malum, & unusquisque voluntatem pravi sui cordis seclatur. Ab illa enim prima prævaricationis angustia innatus est homini amor propriè voluntatis, quæ voluntatem sui creatoris relinquens, ibi subdita est servitute, ubi voluit dominari. Difficile ergo est suam relinquere voluntatem, & alterius voluntariè deservire. Istam difficultatem superat verus obediens, & inde incipit dominari simpliciter, unde eligit propter dominum prælati subiecti. Quoniam hac subiectione voluntatis suæ ac desideriorum suorum dominus efficitur, & regnum cœlestis, ubi in perpetuum dominus & rex erit, scriptura proclamante, mercatur. Et sicut cum lutum obsequitur figulo, quasi vilitatem luti desinit, quia industria figuli illud in vas pulchrũ & dignum pretio convertit: ita dum voluntariè quisque Deo in suis prælati subicitur, habitaculi Dei pulchritudinem ac decorem lucratur.

Obediens deinde amator obedientiæ simpliciter. Ille simpliciter parat, qui videns, illud quod iniungitur, bonum esse aut malum non esse, sine ulla disquisitione illud perficit. Interrogatio enim huiusmodi, quare hoc aut illud præcipiat superior, diaboli imitatio est dicentis Eva: Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno paradisi? At qui Christum querit, & sequitur, ab his interrogationibus curiosis & superfluis abstinet, sciens scriptũ esse: In simplicitate cordis querite illum. Simpliciter veri obediens mandata prælatorum accipiunt, ut Dominum in simplicitate cordis inquirent. Hancque simplicitatem Basilus ab obediensibus exigit, cum eos omnibus pastorem sequentibus, & instrumentis inanimis similes debere esse dicit. Quemadmodum igitur pastor suo oves obtemperant, & viam quamcumque ille vult ingrediuntur: sic qui ex Deo pietatis cultores sunt, moderatoribus suis obsequi debent, nihil omnino illorum iussa curiosius perscrutantes, quando libera sunt à peccato; contraque, ea summa animi alacritate summoque studio cõficere. Quemadmodum enim faber, ædificatorve singulis artis instrumentis pro arbitrio utitur suo, neque unquam vllum inuentum est instrumentum, quod ad quemcumque ille vsum voluisset, non se facillè tractandum præberit, ac moderatoris manui cesset; ite quoque

conuenit verum pietatis cultorem, per inde vtrumque instrumentum quoddam vtile opifici ad complendam spirituales fabricam, omnibus in rebus parere, in quibus ut operam suam nauet, rectum esse antistes iudicari, ne si id facere recuaserit, impedimento sit, quominus spirituale opus compleatur. Et ut instrumentum non sibi ipsi deligit, quod factò vsum sit ad artem iuuandam; eodem modo pietatis cultorem quoque nequaquam conuenit ipsum esse, qui sibi iudicio suo opus deligat, sed gubernationem sui, artificis prudentiæ debet consiliòque concedere. Sic ille.] Et quid nos oves esse cupimus ex illis, quibus in extremo die dicturus est Dominus, [Venite benedicti patris mei; possidete paratum vobis regnum.] Oves igitur simplicitate obedientiæ sumus, ut tam desiderabilem vocem in tempore necessitatis audiamus. Absurdum erit namque, præmium ouium expectare eum, qui non ouis sinceritatem experit, sed vulpeculæ duplicitatem adamavit. Fideles serui esse volumus, qui ob Dei misericordiã, & sanctæ vitæ merita, ingrediamur in domum domini nostri, & super omnia bona sua constituamur. Fidelium ergo seruatorũ fidelitatem habeamus, qui numquam disquirunt, cur herus hoc aut illud præcipiat, sed quid præcipiat, ut illud toto conatu complere studeant. Sic & nobis in negotio obedientiæ sit suspecta omnis causatum aut rationum inquisitio, solùmque inquiramus quomodo id, quod nobis iniunctum est, gnauius exequamur.

Addat præterea verus obediens suo merito tertiã conditionem, ut scilicet obediatur hilariter. Nam tristitia subditi intus mente concepta, & extra signis ostensa, prælatũ ab imperando re trahit, & ad subditum in otio & inertia relinquendũ inducit. Ex quo is multa merita perdit, dum tristitiam vultus prælato quasi murum obiciens, se ipsum obedientiæ laboribus indignum efficit. Alios quoque fratres non parum lædit, qui aut ad imitandam duriciem istius imitantur, aut saltem ad iudicandum & obmurmurandum impelluntur. Certè opus obedientiæ quasi donum est, & sacrificium acceptissimum, quod domino prælati obsequentes offerimus. Quam lætante autem offerendum sit donum, Paulus scripsit dicens: Non ex tristitia aut ex necessitate: hilarem enim datorem diligit Deus.] Et Ecclesiasticus: In omnidato hilarem fac vultũ tuum, & in exultatione sanctifica decimas tuas.] Primitias quidem Deo exultantes sanctificamus, id est, deputamus, & à ceteris fugibus se segregamus, cum obedientiæ opera hilariter incipimus: ac decimas etiam lætante cõsecramus, cum eadem exultatione & gaudio ipsa opera obedientiæ perficimus. Dauidi, qui personam coniugarum ac secularium præferebat, mandatum est, ut offerret domino bonem, unde ait: Offeram tibi boves cum hircis. At Abraham qui domum suam, con sanguineos, patriamque reliquerat, & imaginem religiosorum gestabat, præceptum est ut offerret vaccam triennem, & non sexum masculum, sed fœmineum immolaret. Quare? Nisi quia secularibus fortassis sufficeret mandatis fortiter obsequi, ac religiosos decet in quibuslibet rebus iniunctis non tantũ fortiter, sed exultanter obedire. Gratum (ut existimo) erit nobis legere quàm pulchre Richardus Victorinus hunc mysticum sententiam adumbret. Videamus modò, ait; quid sibi velit hoc sacrificium Abraham, vel in quo videtur ab illo iam dicto Dauid sacrificio differre. Quid quæso est quod Dominus à summo Patriarcha non bonè sed vaccam querit? Numquidnam in hoc genere hostiarum plus fœminam quàm masculum diligit: fortè sic est. Neque enim à

Mat. 25. 24.
2. Corint. 9. 7. Eccl. 35. 11.
Ps. 65. 15.
Gen. 26. 8.
Ricar. tract. de sacrificio Dauidis, & Abr.

Bern. ser. de grad. obedien. iustitia. de discip. monast. c. 7.

Ps. 38. 8.

Bernard. de grad. obedien.

Genes. 3. 1.

Sapient. 2. 1.

Basil. con. monast. c. 23.



tanto amico exigeret, quod minus ipse diligeret. Si mysticè dicta mystica interpretatione discutiantur, puto palam fieri, ratum inueniri quod dicitur: Scimus de boue quia iugum portare potest, lac autem dare non potest. Contingit verò vaccam virtutemque facere, & lac dare, & domini sui iugum portare. O quale sacrificium, & obedientiæ iugum humiliter portare, & inter qualibet obedientiæ ardua cordis dulcedinem seruare, & nil aliud quàm lacteum dulcorem per verba distillare! Multi cum dura sibi præcipiuntur, molestum quidem habent, nec tam dulciter quàm fortiter sustinent. Scimus autem quia masculinus sexus, quàm femininus, fortior est: Sed lac tamen dare non potest. Bouem itaque facit obedientia fortis; Vaccæ verò obedientia dulcis. Bouem offerre, est obedire viuiliter; Vaccam offerre, est obedire gratanter. Bouem offerimus obediendo constanter; vaccam offerimus, obediendo gratulanter. Caro bouina, obedientiæ robusta; caro vaccina, obedientiæ iucunda. Hactenus ille.] Nos certè in hoc filij Abraham sumus, quòd imperio Domini parentes, patriamque reliquimus, & collum obedientiæ subiiecimus; ac proinde consequens est ut eum in qualitate sacrificij sequamur. Offeramus Domino vaccam triennem, obedientiam hilarem. Obediamus hilariter, quia Deo in opere obedientiæ actiones augemus, quia fratribus nostris iter subiectionis perfectæ monstramus. Nam obedientia, hac triplici lætitia aucta & decorata, promissionem illius terræ promerebitur, nō lacte & melle corpori manantis, sed anima æternam dulcedinem producentis.

Hilaritas quartam obedientiæ perfectionem adducet, ut nimitum iustus obediat velociter, & omni mora seposita maioris aliquid iniungentis voluntatem adimpleat. De mandatis domini siue per se siue per prelatos nobis propositis, inquit regius Prophetarum: Qui emitit eloquium suum terra, velociter currit sermo eius: sermo autem velociter currens, velocem vult habere sequentem. Filiis quoque Israël, dum eius agni præcipitur, festinatio in comestione habenda mandatur: Et comedetis, inquit, festinanter.] Quia videlicet verba illa, ait Bernardus, quæ per legem dedit, quæ per semetipsum præsens exhibuit, quæ per Ecclesiæ præpositos tradenda reliquit, veloci sunt obedientia consummanda.] Sit autem omnis homo, inquit Iacobus Apostolus, velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum.] Tarditatem ad loquelam retulit, velocitatem autem in opere postulauit. Ad quidem homo diligens erit in audiendo, nisi ut audita compleat diligenter, & velociter mandata perficiat? Obedientiæ velocitatis præmium maximum, & tarditatis pœnam habet. Vide præmium in principe publicanorum velociter obediens. Audiuit Zachæe festinans descēde, quia hodie in domo tua oportet me manere. Ille festinās descendit, & excepit dominum gaudens;] & iuxta illud quod Dominus intulit, [Salus domui huic facta est;] salutem animæ in præmium suæ properationis accepit. Sed vide pœnam in Cain, cuius munus repulsum est, quia in eius oblatione tardauit. Denique: Factum est post multos dies, ut offerret Cain de fructibus terræ munera Domino. Duplex culpa, inquit Ambrosius, vna quòd post dies obrulit, altera quòd ex fructibus non ex primis fructibus. Sacrificium autem & celeritate commendatur & gratia. Vnde præceptum est: Si voueris votum, non facias moram reddere illud.] Cum enim moram facis, non reddis votum. Est autem postulatio bonorum à Deo cum soluendi muneris promissione. Et ideo cum impe-

traueris quod petisti, ingrati est tardare promissum. Hæc ille.] Qui & postea Abraham vehementer laudat, quòd velociter Domini mandata complenda suscepit. Prima, inquit, Voti gratia, est celeritas solutionis. Denique Abraham filium suum, ad holocaustum iussus offerre, non post dies ut Cain obrulit, sed exurgens mane strauit asinam suam, & adhibuit secum duos pueros, & Isaac filium suum, & concidens ligna ad holocaustum, surgens abiit, & venit ad locum quem dixerat ei Deus, die tertia. Primò aduerte immolantis studium maturum atque festinum, ut mora expectationis non esset, nisi donec audiretur oraculum. Deinde ut sterneret asinam suam, obsequium omne ipse susciperet, & sacrificio necessaria prepararet, duabus quoque fide & spe virtutibus comitantibus, hostiam suam duceret, de potestate Dei certus, & de bonitate securus.

Merito ergo Sanctus Patriarcha Benedictus hæc festinationem obedientiæ mandauit: Primus, ait, humilitatis gradus obedientiæ sine mora. & postea: Mox ut aliquid imperatum à maiore fuerit, ac si diuinitus imperetur, moram pati nesciunt in faciendo. & iterum: Sed hæc ipsa obedientia tunc acceptabilis erit Deo, & dulcis hominibus, si quod iubetur, non tepide, non tardè, non tepidè fiat. Merito etiam Cassianus antiquos illos monachos de hac celeritate commendat, in qua erant adeo strenui, ut litteram præ studio celeriter accutendi semisactam relinquere. De illis hæc dicit: Itaque confidentes intra cubilia sua, & operi ac meditationi pariter intendentes, cum sonitum pulsantis ostiij, ac diuersorum cellulas percutientis audierint, ad orationem eos scilicet, seu ad opus inuitantis; certatim è cubiculis suis vnusquisque prorumpit; ita ut is, qui opus serioris exercet, quam reperit fuerit inchoasse litteram, finire non audeat, sed in eodem puncto quo ad aures eius sonitus pulsantis aduenit, summa velocitate profiliens, ne tantum quidem moræ interponat, quantum captipapicis consummet effigiem; sed imperfectam lineam litteræ derelinquens, non tam operis compendia, lucraue sectetur, quàm obedientiæ virtutem exequi toto studio, atque emulatione festinet. Quam non solum operi manuum, seu lectioni, vel silentio & quieti cellæ, verum etiam cunctis virtutibus ita præferunt, ut huic iudicet omnia postponenda; & vniuersa dispendia subire contenti sunt, dummodo ipsi hoc bonum in nullo violare videantur.] Merito tandem Siluanus Abbas in vitis patrum apud Euagrium Ponticum Hyperbortam, vel Petronium Bonorensem, illum discipulum præ aliis dilexit, nomine Marcum, cuius tanta erat obedientia, ut à magistro vocatus, litteram, O, mediam reliquerit, nec eam præ desiderio promptæ obedientiæ impleuerit. Quod factum alij seniores, qui Siluanum comitabantur, videntes, dixerunt ei: In veritate quem tu diligis, & nos iam diligimus, quia & Deus eum propter suam obedientiam diligit. Nos itaque in exequendis rebus iniunctis quàm diligentissimi simus, ut per celerem obedientiam Christum Saluatorem inueniamus. Nam tres illi felices reges ab stella ad Dominum adorandum vocati statim sine vlla cunctatione accurrerunt: quare illorum vox fuit: Vidimus stellam eius, & venimus,] & in præmium suæ promptæ obedientiæ Domini conspectu dignati sunt. Sic si in omnibus promptè celeriterque obediemus, non iam ad horâ, sed ad æternitatem, Christi consortio & conspectu perfruemur. Ipse enim illos magno honore prosequetur, qui sacrificia sua, nempe obedientiæ opera, non patiuntur

inf. s.

Benedict. in reg. c. 5.

Cassian. lib. 4. de inst. c. 11.

Pf. 147.4

Exod. 12. Bern. sup.

Iacobi. 1. 19.

Luca. 19. 5.

n. 9.

Gen. 4. 3. Ambros. lib. 2. de Cain c. 7.

Ecc. 5. 3.

per tar

per tarditatem & focordiam ab aduersario delibari.

Instantia in obediendo adiungenda est constantia & fortitudo, vt quis sciat obedire velociter, discat & parere viriliter. Sæpe namque non modica difficultas insurgit, nos in itinere subiectionis impediens, & ab impletione mandatorum abducens, quæ fortitudine vincenda est, ne obedientia meritum excidat. Viriliter agite, & confortetur cor vestrum, [ait Sanctus David, [omnes qui speratis in Domino.] Nobis ergo, qui præmium maximum obedientium speramus, viriliter obediendum est, ne illo ob inconstantiam & pusillanimitatem priuemur. Tria autem sunt, quæ nos solent ab operibus obedientia diuelleræ; vel ipsa rerum iniunctarum difficultas, quia nimirum res arduæ sunt, & naturæ ac sensui repugnantes; vel modus præcipiendi, quia prælatus inuauiter & duriter & sine opportunitate præcipit vel alij, qui iustificationibus aut persecutionibus aut minis, tentant nos ab obediendo retrahere. Hæc tria superat fortitudo in agendo, cuius causa dicitur de nobis, quod nouimus viriliter obedire. Si res difficilis fuerit, si sensui propensionique repugnans, non propterea omittenda est, immo eo libentius executioni mandanda, quo difficultas meritum auget, & ex victoria sensus & propensionis nostræ obedientia virtus accrescit. Si enim in rebus facillimis aut voluntari nostræ consonis obedierimus, quam mercedem habebimus, cum & seculares, immo & iniqui in rebus quæ sibi placent, obediunt? At in his quæ exhorremus & valde formidamus, obedire veræ est humilitatis & subiectionis indicium. Saluator noster obediuit patri in passione mortis, & in aliis multis quæ natura illius humana sanctissima & ordinatissima vehementer extimuit. Sic veri imitatores illius in difficultibus & arduis obediunt necesse est, & in his, quibus caro repugnat, se propter amorem obedientia subiciant. Se namque in his vincere, & voluntatem ad hæc complenda & admittenda fortiter inclinare, obedientiam mirabiliter perficit, & eius meritum ac valorem augmentat. Quare Gregorius sapienter ait: Sed quia nonnumquam nobis huius mundi prospera, nonnumquam verò iubentur aduersa: sciendum summopere est, quod obedientia aliquando si de suo aliquid habeat, nulla est; aliquando autem si de suo aliquid non habeat, minima. Nam cum huius mundi successus præcipitur, cum locus superior imperatur, is qui ad percipienda hæc obedit, obedientia sibi virtutem euacuat, si ad hæc etiam ex proprio desiderio anhelat. Neque enim se sub obedientia dirigit, qui ad accipienda huius vitæ prospera libidini propria ambitionis seruit: rursum cum mundi despectus præcipitur, cum probra adipisci, & contumelia iubentur, nisi ex se ipso animus hæc appetat, obedientia sibi meritum minuit: quia ad ea quæ in hac vita despecta sunt, inuitus nolensque descendit. Ad detrimentum quippe obedientia ducitur, cum mentem ad suscipienda probra huius sæculi, nequaquam ex parte aliqua etiam sua vota comitantur. Debet ergo obedientia & in aduersis ex suo aliquid habere, & rursum in prosperis ex suo aliquid omnimodo non habere, quatenus & in aduersis tanto sit gloriosior, quanto diuino ordini etiam ex desiderio iungitur: & in prosperis tanto sit verior, quanto à præfati ipsa, quam diuinitus percipit gloria, funditus ex mente separatur. Sic ille. Et Bernardus ad idem inquit: An tu ibi putas obedientia fructum, cum subditus audit obedientiam quam multis expetierat votis, cum ei præcipitur quod redo-

A leat dignitatem, gaudium, & lætitia fluitet, & potentia fulciatur imagine? E contrario autem an tu illi obedientia meritum assignas, quæ cum aduersitate procedens animum terret audientis, grauis ad audiendum, grauior ad implendum, ad tenendum grauissima? Non est ita. Faciendum est vt à prosperitate animo separemur, & aduersitatem animo amplectamur, si volumus illum sequi, qui regnum fugit, & ad passionem voluntarius venit. Et Sulpicius: Præcipua ibi virtus, scilicet in cœnobis monachorum Orientalium; & prima est obedientia; neque aliter adueniens ad monasterium Abbatis suscipitur, quam qui tentatus prius fuerit & probatus, nullum vnquam recusaturus, quamlibet arduum ac difficile indignumque toleratu Abbatis imperium. Vincenda est ergo difficultas quæ ex ipsa re imperata nascitur, vt fortitudo in obediendo teneatur.

B Si verò prælatus duriter & insulse præcipiat, si omnia reprehendat, si nihil beneferi, & in nullo suam voluntatem impleri proclamet, non propterea ab obedientia desistendum est, scientes quod non homini propter hominem obtemperamus, sed propter Deum cui nostra voluntas placita est, hæc duritiam obediunt. Vnde Ephraim ait: Si sub obedientia spiritualium patrum condesceris, non cum demulceris, & audis verba assentationis, appareat fidei tuæ stabilitas, ac firmitas: sed quando contemptus, atque percussus sustineris; nam etiam fera merito cum demulcetur mansuescit atque mitescit. Ne itaque erga corripientem, & instituentem te, amarulentior fias, si nimirum cupis vas electionis euadere. Hæc ille. Vas profectò electionis fit, qui duritiam prælati nullam rationem habens, & Christum in eo præcipientem aduertens, tanta alacritate & strenuitate parat, ac si prælatus eius obsequia gratissima haberet, eumque vt intelligentem & industrium diligeret. At si nos alij ab opere iniuncto variis modis retrahant, si arduum esse hæc aut illa peragere dicant, si nobis talia imperari indignum asserant, & hæc impugnatio obedientia vincenda est, sciendumque nihil esse arduum humilibus, vt ait Leo Papa, nihilque asperum mitibus, nihilque indignum esse viro docto, aut nobili, aut sene, aut antea multis muneribus honorato, si à prælato præcipiatur. Si tribulatio intonat, inquit Bernardus, si persecutio resertat, si peccatores tibi laqueum ponunt, si maligni tuum iter impediunt, tu obedientia vias non deseras. Sic dicit: Paratus sum & non sum turbatus [vt custodia mandata tua.] Custodi mandata prælati, quæ non sunt aliud quam mandata Domini: & scito præclarum esse illi in omnibus obedire, & perfectam esse obedientiam, ac maximum meritum in arduis & difficilimis obtemperare.

E Iustus parat fortiter, obediatur & humiliter, ne fortitudo in superbiam transeat, & obedientiam sedans, eius meritum & decorem impediatur. Quid est obedire humiliter? Humilia seruitia ab obedientia imposita gratæ suscipere; prælationis onera, si absque transgressione mandati fieri possit, prudenter cauere; se ipsum merito obedientia indignum, & ad quæque opera de se ineptum reparare. Humilia obsequia à religiosis obedientibus libenter esse admittenda Basilius in hunc fere modum edocet! Atque etiam intelligendum illud est, debere pietatis cultorem viliora etiam munera magno cum studio, magnaque cum animi alacritate suscipere, scientem nihil minutum esse, quod Dei causa fiat, sed grande & spirituale, & ciuimodi, quod exalatum nobis, & præmia cœlestia conciliat. Quamobrem licet communibus utilitatibus interuentia sarcinaria sequi iu-

menta

Psal. 30.
26.

Greg. 11.
mor. c. 10.

Ser. sup.

Ephrem.
de virtut.

Leo Papa
serm. o. e.
1. de Ep.

Ber. sup.

Psal. 118.
60.

Basilius.
conf. mi.
nas. c. 24.

menta oporteat, recusare tamen non debet. Si quidem venite, in mentem Apollolorum debet, quam alacriter illi Domino paruerunt, quando ipsis mandauit, vt ad se pullum adducerent: cogitantesque, & illos quoque quorum causa iumentorum curam suscipiat, fratres Domini esse, & tributam ipsis benevolentiam studiumque, in ipsum Saluatorem redundare: qui dixit; Quatenus fecistis vni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Quod si sua facit, que minorum sunt; sine dubio multo magis que electorum sunt, ea sibi vendicabit, modo ne officium causam ad licentiam existimet. Quin summa potius animi, attentione munire se ipsum debet, vt cum sibi tum ceteris, in quoscumque eum casus detulerit, pariat utilitatem. Porro si de muneribus ijs, que abiectiona sunt, aliquid exercendum sit, scire conuenit, Saluatorem quoque ipsum discipulis ministrasse, & abiectiona opera facere non recusasse, magnumque homini esse, si Dei imitator existat, cum per hęc que humilia sunt, ad altitudinem illam, quod illum est imitatus, ascendat. Quamquam quis iam humile ausit quippiam appellare, quod Deus ipse attingere non recusauit? Huc vsque Basilius. Præclara autem, ac speciosa munera esse prudenter detrectanda sanctissimorum Ecclesiæ viro- rum exemplo didicimus, qui se ipsos difficiles in admittendis dignitatibus præbuerunt. Et quia natura nostra per peccatum superbiæ corrupta ad prælationem semper aspirat, non est vitium inobedienciæ ab his, humili se excusatione subtrahere, & humilia potius velle, quam cella, sub prætextu obedienciæ quaritare. Bonum est, inquit Origenes, non proflire ad eas, que à Deo sunt dignitates & principatus, & ministeria Ecclesiæ, sed imitari Moysen, & dicere cum eo: Prouide alium, quem mittas. Si autem id bonum est, certè aliqua inobedienciæ labe maculatum non est. Et Bernardus: O perueritas, o abusus filiorum Adam, quia cum ascendere difficillimum sit, ipsi & leuiter ascendunt, & difficiliter descendunt, parati ad celsitudines & honores graduum Ecclesiasticorum ipsis etiam angelicis humeris formidandos. Quia ergo ad hæc superbe & imprudenter inclinamur, obedienciæ perfectionem non tollit, sed meritum humilitatis adiicit his sublimibus repugnare. Debet etiam obediens, vt humilitatem habeat, se vt supra dictum est, ad omnia ineptum reputare, & indignum merito obedienciæ sentire, quia si magnum existimatur, à rege terreno occupari, quanto maius erit, Deo regi caelesti ore prælati præcipienti parere? Certè, si bene intelligimus, indigni sumus, quibus opera obedienciæ demandentur, & tantæ virtutis merita tribuantur.

Matt. 25. 40.

Origenes, hom. 6. in Isaiam.

Bern. ser. 2. de Ascensione.

Matt. 24. 13. 1. Timor. 4. 7.

1. Cor. 9. 24.

Postrema obedienciæ perfectio est vt sit perseuerans, & constanter ac desinenter obediens. Non sufficit ad salutem incipere; non enim scriptum est: Qui cœperit, sed qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Nec corona cursum incipienti sed perficienti decernitur. [Nam cursum consummaui, inquit Paulus, in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ:] Sibi autem reposita non esset, si cursum tantum inchoasset, non autem perfecisset. Ideo monet ipse: Sic currite, vt comprehendatis. Quia sicut ille accipit brauium, qui ad metam cursus peruenit, ita & præmium obedienciæ ille percipit, qui vsque ad finem vitæ in obediencia persistit. Ideo Bernardus obedienciam comparat talari tunica, quia sicut hæc ad talos vsque protenditur, ita & illa vsque ad finem vitæ protrahitur. Obediencia, inquit, talaris est tunica, quam

A Ioseph (quod sonat, accrescens, vel augmentum, id est, quilibet perfectus) dono clementioris gratiæ, quæ est mater credentium, singulariter induit. Quia verò hæc talaris tunica pulcherrima est, non tantum signat vt perseueremus vtrumque, sed vt cum omnibus prædictis conditionibus in obediendo persistamus. Propterea idem Bernardus alio loco eam comparat nummo, qui nisi integer sit, & omni ex parte incorruptus beneque signatus, à nummulario contemnitur. Sed præter ordinem erit melliflua prætermittere. Sapiens, inquit, nummulatius est Christus, immo ipsa sapientia, cui necesse habemus reddere hęc obedienciæ nummum: nec suscipiet eum nisi & integer inueniatur, & sine aliqua salutate. Nam si discutimus, si diudicamus, & in hoc quidem præcepto non obediunt, sed in illo; fractus est nummus: non suscipiet eum Christus, à quo nimirum tenemur nummi integri debitores. Omnes enim obedienciam simpliciter & sine vlla acceptione promissimus. Quod si quis obediat quidem, sed simulariè & ad oculum, murmuret autem in abscondito, falsus est nummus eius: plumbum habet non argentum, & iniquitas sedet super talentum plumbi: dolose agit, sed in conspectu Dei, quoniam Deus non irridetur. Vis audire perfectæ obedienciæ formam? Vidit Dominus (ait Euangelista) Petrum, & Andream mittentes rete in mare, & ait illis: venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum. Faciam, inquit, de piscatoribus piscatores: immo prædicatores. At illi continuo nihil diudicantes aut hæsitantes, non solliciti vnde viuerent, non considerantes quonam modo rudes homines, & sine literis, prædicatores fieri possent, nihil denique interrogantes, sine vlla mora, relictis retibus, & nauis, secuti sunt eum. Agnoscite fratres quoniam propter vos scripta sunt hæc, propter vos singulis annis in Ecclesia recitantur: vt discentes verè obedienciæ formam, castigeris corda vestra in obediencia charitatis. Hęc nimirum est quæ sola cõmendat obedienciæ nummum, hoc illius argentum est probatum atque purgatum. Hęc Bernardus. Qui ergo his septem attributis opus obedienciæ perfecit, verus & per omnia consummatus obediens censetur. Obediat ille libenter, vt in opere iniuncto lætetur: obediat simpliciter, ne stultè sapiens, sed potius sapienter ignorans existimetur. Obediat humiliter, vt non coactus obediens more seruatorum, sed spontaneus secundum consuetudinem filiorum appareat. Obediat velociter, vt citius præmium victoriæ teneat. Obediat viriliter, ne difficultate superetur. Obediat humiliter, ne ob superbiam merito obedienciæ priuetur. At tamen in his omnibus perseueret, vt mercedem perfectis obediencibus paratam consequatur.

Bern. ser. 2. de 8. An. deca.

Matt. 4. 18. 19.

Quintus gradus Obedienciæ: Voluntatem simul cum opere maiori subdere.

CAPVT IX.



RADVS isti qui sequuntur, licet videantur in conditionibus obedienciæ, comprehensi, tamen aliquid habent cuius causa oporteat eos à quarto etiam

gradu

gradu distingui. Aliud namque est imperata libenter facere, aliud verò, voluntatem subditi quasi praelati voluntate formare. Similiter aliud est simpliciter parere, aliud verò proprium iudicium subditi maioris iudicio submittere. Duo enim illa priora innuunt actum obedientie externum, nulla repugnantia voluntatis vitiatum, nulla contradictione proprii iudicij corruptum: duo autem posteriora non important actum externum, sed functiones internas voluntatis & intellectus, quibus verus obediens imperata complectitur, siue ab ipso, siue ab alio exterius fiant, & iussis praelati non reluctatur. Est igitur quintus obedientie gradus, cum subditi voluntatem praelati suam facit, ita ut cum eo non tantum opere, sed affectu concorder, & idem omnino velit, quod praelatus, idem nolit. Vellet subditus, exempli gratia, aliquid facere, siue magnum, siue paruum, pro facultate & assensu faciendi ad praelatum recurrat. Ipse negat assensum, atque potius oppositum esse faciendum. Si subditus non repugnet, si statim absque vlla contradictione voluntatem suam deponat, & voluntatem praelati suscipiat, si idem omnino velit fieri quod praelatus, si voluntatem eius suam efficiat, si hoc non in ista aut illa re facili, sed in omnibus rebus etiam difficilibus, & sensualitati repugnantibus praestet, & ex habitu sic se habeat, hunc Deo donante, quantum obedientie gradum acquisiuit. Religiosa professione voluntatem nostram propter Dominum praelato dedimus, ne iterum ad malum nostrum illam quasi furtim surripiamus. Ille autem suam voluntatem surripit, qui eam à praelati voluntate diuellit, & dum exterius imperata facit, interius imperatis voluntate repugnat. Saluator noster dixit: Non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me. Ita dicat & discipulus Christi: Non veni ad statum religiosum facere voluntatem meam, sed voluntatem eius qui vocauit me. Hoc autem solo externo opere non implebit, nisi etiam voluntatem suam praelati voluntati conformet. Reuera enim est propria voluntatem facere, externum opus quasi inuicè elicere, & voluntatem retinere, quam absque dubio retinet, qui audeat voluntati praelati repugnare. Probro sponsæ datum est, quod noluit tunicam à se ad cubandum relictam, gratia excipiendi sponsum, induere. Nam dixit: Expoliam me tunica mea, quomodo induar illam? At è contra probro obedienti dabitur, si intenderit voluntatem suam repetere, quam decreuit pro Domini obsequio relinquere. Idem quippe est effectus non resumendæ tunicæ, & resumendæ voluntatis. Quare sponsa imprudenter se habuit, nolens tunicam ad sponso apertendum induere. Quia hac negligentia indignam se sponsi amplexibus fecit. Sed similiter qui post obedientie votum propriam voluntatem retinet, indignum se Dei amplexibus & consolationibus facit. Non amplexatur ille, nec cœlestibus consolationibus replet hominem, cuius opera inuisa habet. Manifestum est autem, à Domino illius obsequia repellit, quem viderit propriam voluntatem retinentem. Reiecit ipse ieiunia & orationes iniquorum; causam autem assignat dicens: Quia in die ieiunij vestri, inuenitur voluntas vestra. Sic etiam obsequia illorum abijciet, qui propriam voluntatem retinuerint, & actus obedientie, suæ voluntatis, quam obtulerant, repetitione fœdauerint.

Ioan. 6. 38.

Cant. 5. 3.

Isai. 5. 2. 6.

A Miseri sanè sumus & longè à nostri status perfectione seimcti, si non facere voluntatem praelati, sed fieri nostram voluntatem à praelato queramus. An non miserum est, hominem se ipsum seducere, & in expletione voluntatis propriae sibi ipsi de merito obedientie blandiri? Sed qui propriam voluntatem sub pretextu obedientie diligit, in hanc descendam miseriam incurrit. Id enim sonant verba Bernardi: Porro quisquis vel apertè, vel occultè fatagit, ut quod habet in voluntate, hoc ei spiritualis pater iniungat, ipse se seducit, si fortè sibi quasi de obedientia blandiatur. Neque enim in ea re ipse praelato, sed magis ei praelatus obedit. An non miserum est in terra Gesen ubi lux est, caligine Aegyptiorum inuolui? Sed huiusmodi sunt, qui in statu religioso positi adeo caecutiunt, & tantis tenebris obruantur, ut non lucernam veritatis, sed errorem suæ voluntatis sequantur, de quibus idem Bernardus ait. Heu plures habemus Euangelici illius cæci quam noui Apostoli imitatores. Quid vis (ait Dominus ad cæcum illum) ut faciam tibi? Quarta est miseratio tua, Domine, quanta dignatio tua! Siccine Dominus querit ut serui faciat voluntatem? Verè cæcus ille, quia non considerauit, non expauit, non exclamauit: Abist hoc, domine, tu magis dic quid me facere velis. Sic enim decet, sic omnino dignum est, non meam à te, sed à me tuam queri, & fieri voluntatem. Videtis fratres, quia verè necessaria erat hoc in loco conuersio. Sic profectò, sic multorum vsque hodie pusillanimitas & peruersitas exigit, ut ab eis queri oporteat, Quid vis ut faciam tibi: non ipsi querant: Domine quid me vis facere? Considerare necesse habent ministri, & vicarij Christi, quid sibi præcipi velint: non ipsi considerant quæ voluntas sit præceptoris. Non est obedientia eorum plena, non in omnibus parati sunt obsequi, non per omnia sequi proposuerunt eum, qui non suam, sed patris venit facere voluntatem. Discernunt, & diiudicant eligentes in quibus obediunt imperanti, immo in quibus præceptorem sunt ipsorum obedire necesse sit voluntati. Huiusmodi itaque etiam tolerari se videant & condescendi, ac morem geri inimitati suæ, proficiant obsecro, pudeatque semper paruulos inueniri; ne quando fortè hoc audiant: Quid debui vobis facere, & non feci? & abuentibus patientia & benignitate praelati, fiat tandem multitudo exhibitæ miseratōnis, cum iusta damnationis. Sic ille. Non sic profectò nobis agendum est, sed siquidem ad Dominum conuerti sumus; initium saltem ac substantiam perfectæ conuersionis teneamus. Hæc autem non est alia, quam propriam voluntatem (eam scilicet quæ non est Deo, & nobis communis) relinquere, & diuinam voluntatem à praelato patefactam amplecti.

D Vnde verba sunt eiusdem Bernardi paulo superius: Hæc planè fratres perfectæ conuersionis est forma. Paratum, inquit, cor meum Deo, paratum cor meum. Paratus sum, & non sum turbatus, ut custodiam mandata tua. Dominus, quid me vis facere? O verbum breue, sed plenum, sed viuum, sed efficax, sed dignum omni acceptione. Quam pauci inueniuntur in hac perfectæ obedientie forma, qui suam ita abiecerint voluntatem, ut ne ipsam quidem cor propriam habeant, ut non quid ipsi, sed quid Dominus velit omni hora requirant, dicentes sine intermissione; Domine quid me vis facere: & illud Samuelis: Loquere Domine quia audit seruus tuus. Audiamus itaque vocem Domini di-

Ber. ser. ad stat. in capit.

Luc. 18. 41.

Pf. 5. 6. 8. Psal. 118. 60.

1. Reg. 3. 10.

centis nobis, vt perfectè eius voluntatem impleamus: quam proculdubio non implebimus, nisi voluntatem nostram eius voluntate formemus. Cùm autem eius voluntas per voluntatem prælati non iniustam, nobisque intimatam, innotescat, compertum est debere nos non solum opere, sed etiam ipsa voluntate nostris consentire prælati.

Nihil sanè rigidum, aut durum in hoc à nobis exigitur. Christus enim Deus, & magister noster, dedit se propter nos voluntati hostium suorum. Vnde Lucas de Pilato præfide ait: Quòd tradidit eum voluntati eorum.] Et nullatenus ille Dominum maiestatis hostibus tradidisset, nisi ipse Dominus se tradi voluisset.

Luca. 23. 28.

Isaia. 53.7
Ioan. 10. 17.

Oblatus enim est, quia ipse voluit:] Et ego, ait, pono animam meam, vt iterum sumam eam.] Quid ergo multum si propter illum nos voluntati prælatorum tradamus, vt in præmium huius facti tam iusti semper cum illo regnemus? Ille se tradidit hostibus, nos patribus: ille se dedit occidendum, nos regendos, & gubernandos, ille se dedit vt ad crucem duceretur, nos vt ad perfectionem, quæ nobis est in votis, ducamur. Quàm non auarus venditor, immo & liberalis commutator, cui ad vorum sibi repensatum viderur, si pro eo eximio opere, quo se ad mortem tradidit, seruus se ad vitam tradat, & voluntatem suam præposteram pro meliori voluntate deponat. Sit obediens sicut columba: non sicut illa de qua inquit

Osea. 7. 15.

Ps. 69. 14.

Hieron. lib. 3. in Osea. ad cap. 7.

Oseas: Ephraim quasi columba seducta non habens cor:] quæ suam deceptionem non dolet, & malum sibi inferri non aduertit. Sed sicut illa, cuius meminit regius psaltes, quando cantauit: Pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsu eius in pallore auri;] quæ nimirum puritate volat, & conuersionem suam in auri perfectæ charitatis splendore consummat. Huius cæterarumque animi istud est discrimen. Quòd aues cæteræ, vt Hieronymus ait, pullos suos etiam cum periculo vitæ protegunt, & morsu, vnguibus, hucque & illuc volando defendunt: sola columba ablatos filios non dolet, non requirit. Qui filij nostri? nonne voluntates, appetitiones, & desideria nostra? Si hæc prælatus abstulerit, si voluntatem nostram fregit, si oppositum eius, quod cupiebamus, præceperit, verus obediens non doleat, non requirat. Relinquat desideria sua, & iniuncta à prælato pro charissimis filiis accipiat. Erit tunc in bonum columba seducta, quia licet videatur decipi, ex eo quòd propriis voluntatibus orbat, certum est eam erudiri, dum pro suis ineptis desideriis Domini voluntatem amplectitur. Dicetque in alio sensu non lugens sed gaudens, illud Ieremiæ: Seduxisti me, Domine, & seductus sum: fortior me fuisti, & inualuisti.] Mihi autem non in opprobrium, sed in honorem dabitur, quòd tibi cesserim, & meam voluntatem pro tua commutauerim. Hoc, inquam, dicit quans, & gaudens, quia viam ac rationem inuenit, qua possit ad veram animi puritatem festinare.

Ieremia. 20 7.

Dorothei. doctr. 1.

Vt enim dixit Dorotheus: Si liberari perfectè volumus, & ab hoc sæculo discedere, oderimus in primis voluntatem nostram, & sic breui diuino præsidio ad impassibilitatem animi (quæ quodam modo in hac vita haberi potest) perueniemus. Nihil enim adeo adiuuat hominem ad hoc, quàm sensus suos odisse. Atque ita sese habet hæc ratio ad omnem virtutem, vt si viator iter aggressus, scipione inuento, cui innitatur, iter magis acceleret, & præoccupet viam: sic enim qui viam hanc

A incedit, si propriam voluntatem abscindat, abscindit & pristinas affectiones, quibus præcisis fit Dei opere certa quadam ratione impassibilis. Sic ille.] Est ergo beata deceptio, aut utilis admodum eruditio scire propriam voluntatem relinquere, & voluntatem maiorum sequi, eiusque amplexu diuinam voluntatem ibi rectam & inuolutam amplecti.

Ita semper sit religiosus dispositus, ita à suis voluntatibus segregatus, vt valeat prælato dicere: Non mea voluntas sed tua fiat.] Ita se propriis desideriis spoliet, vt possit etiam aliam vocem sui capitis usurpare: In capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam: Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.] Nam si libri nomine non sacram scripturam, sed ritulum ex ea diductum, nempe regulam intelligamus, in eius summa aut volumine scriptum est, vt quisque verus obediens voluntatem Dei prælati mandatis declaratam faciat, & toto corde ac tota voluntate se alienæ voluntati submittat. Illi ad benedicendum Dominum inuitati sunt, qui voluntarij se propter illum periculis obtulerunt. Ideoque cecinerunt Debhora & Barac: Qui sponte obtulistis de Israël animas vestras ad periculum, benedicite Domino.] Sponte igitur & voluntariè prælati obediunt, & se prudenter, si oportuerit, discrimini exponant, qui vult ad laudes Domini canendas, admitti, & victor hostium suorum existere. In potestate sua actiones voluntatis suæ positæ sunt, volo, & nolo. Dicit desiderijs & concupiscentijs suis: Nolo; voluntati autem prælati, mandato, aut simplici dicto declarate: Volo: dicat ex corde non tam verbo quàm affectu, non tam ore quàm opere, & Deo gratissimam ac acceptissimam obedientiam voluntatis habeat. Ne proprijs definitionibus proprijsque desiderijs adhareat.

Luc. 22. 44.

Ps. 39. 9.

Iudic. 1.

Eph. 4. 17

B Est namque, vt dixit scitè Hieronymus, præceptor pessimus cuiusque propria præsumptio. Hoc magistro, ô homo, non ad perfectionem, non ad quietem animæ, sed ad innumeras imperfectiones, & inquietudines, immo & si in rebus grauibus eum sequeris, fortè ad damnationem ducis. Propterea sic monet Paulus Ephesios: Hoc itaque dico, & testificor in Domino, vt iam non ambulatis sicut & gentes ambulat, in vanitate sensus sui.] Ne proprium sensum, tuamque priuatam voluntatem sequaris, quia alienaberis à vita Dei, & à cæca concupiscentia ductus, dum minus putaueris, in foueam multorum inconuenientium cades. Hoc enim est quod dixit Sapiens: Fascinatio nugacitatis obscurat bona, & inconstantia concupiscentiæ transuertit sensum sine malitia. Sensus namque proprius est vt fascino, quod veritati tenebras offundit, & instabilitas concupiscentiarum nostrarum, ceu iniquus dux viæ, qui mentem malitiæ expertem decipit, & in id, quod nullatenus confert, inducit. At recta prælati voluntas, si ei te obedientem præbeas, stabilitatem in bono, & mentis puritatem attribuet. Si hanc admiseris & pro ea tuas voluntates deserueris, [leuare poteris faciem tuam absque macula, vt est in Iob, & eris stabilis, & non timebis.] Nihil inquam, facies, propter quod pudore suffundaris, numquam instabilis & vagus, in vana & noxia diffusus, neque aliquid admittes, cuius causa timore impugneris.

C Habet autem hic gradus obedientiæ nonnullam latitudinem perfectionis. Nam prius est in deserendo

D

E

Est namque, vt dixit scitè Hieronymus, præceptor pessimus cuiusque propria præsumptio. Hoc magistro, ô homo, non ad perfectionem, non ad quietem animæ, sed ad innumeras imperfectiones, & inquietudines, immo & si in rebus grauibus eum sequeris, fortè ad damnationem ducis. Propterea sic monet Paulus Ephesios: Hoc itaque dico, & testificor in Domino, vt iam non ambulatis sicut & gentes ambulat, in vanitate sensus sui.] Ne proprium sensum, tuamque priuatam voluntatem sequaris, quia alienaberis à vita Dei, & à cæca concupiscentia ductus, dum minus putaueris, in foueam multorum inconuenientium cades. Hoc enim est quod dixit Sapiens: Fascinatio nugacitatis obscurat bona, & inconstantia concupiscentiæ transuertit sensum sine malitia. Sensus namque proprius est vt fascino, quod veritati tenebras offundit, & instabilitas concupiscentiarum nostrarum, ceu iniquus dux viæ, qui mentem malitiæ expertem decipit, & in id, quod nullatenus confert, inducit. At recta prælati voluntas, si ei te obedientem præbeas, stabilitatem in bono, & mentis puritatem attribuet. Si hanc admiseris & pro ea tuas voluntates deserueris, [leuare poteris faciem tuam absque macula, vt est in Iob, & eris stabilis, & non timebis.] Nihil inquam, facies, propter quod pudore suffundaris, numquam instabilis & vagus, in vana & noxia diffusus, neque aliquid admittes, cuius causa timore impugneris.

Habet autem hic gradus obedientiæ nonnullam latitudinem perfectionis. Nam prius est in deserendo

Iob. 11. 11.

di

dis malis maioribus consentire praelato: deinde in relinquendis imperfectionibus, & malis minoribus. Postea & ipsa bona secundum voluntatem praelati disponenda sunt, & iuxta prescriptum eius facienda, vel dum non sunt in precepto, etiam omittenda, ut sic non caeca voluntas propria nos regat, sed sapiens maiorum prudentia, & discretio dirigat. Certum enim est, in his rebus bonis, aut minuendis aut ex toto dimittendis, ex ordinatione praelati, meritum non minui sed augeri. Quia Deus, ut supra dictum est, gratiorem habet obedientiam quam victimam. Rursum prius est repugnantiam nostrae voluntatis vincere, & tristitiam ex imperio contra nostrum desiderium imposito exortam superare. Post istud repugnantiam non sentire; postea de voluntate superioris nostri omnino opposita letari. Postea in rebus etiam difficillimis repugnantiam non sentire, & in iuncto mandato gaudere. Ac tandem ita praelati voluntatem nostram facere, ut quasi voluntatem non habeamus, sed tantum quod praelatus voluerit, aut noluerit, id constanter velimus atque volumus. Beatissimus Patriarcha Franciscus, exemplo corporis mortui hanc obedientiae perfectionem exposuit. Cum enim quaereretur ab eo, inquit Bonaventura, quis esset verus obediens iudicandus, corporis mortui similitudinem pro exemplo posuit. Tolle, inquit, corpus exanime, & ubi placuerit, pone: videbis non repugnare motum, non murmurare situm, non reclamare dimissum. Quod si statuat in cathedra, non alta, sed ima respiciet: si collocetur in purpura, pallefcet. Hic verus est obediens, qui cur moueatur, non diiudicat; ubi loquetur, non curat; ut trahatur, non inflat; euectus ad officium, solitam tenet humilitatem, plus honoratus, plus reputat se indignum. Hae ibi.] Beatus pater noster Ignatius hunc verum obedientem baculo comparavit. Ut quemadmodum lenis baculus vbicumque & in quacumque re eo uti velit, sine vlla contradictione ei inseruit, quod si non moueatur, se non mouet, & nihil omnino facit: ita hunc obedientiae gradum consequutus, quicquid sibi imperatum est, summa cum facilitate exequitur, & communia etiam & consueta non sine prescripto patris spiritualis exercet. Ac tandem sit sicut caelum, quod Angelus ipsius gubernationi deputatus sine vlla difficultate mouet, & si impetum non imprimeret, statim immobile permaneret. Sic, o religiose obedientiae amator, te caelum mobile, praelatum vero, Angelum mouentem puta; ille te sine contradictione moueat, ille te dirigat. Si autem cessauerit, ne mouearis, id est, nihil contra impetum obedientiae moliri audeas, & sic incredibili animae tranquillitate perfrueris.

Sextus gradus Obedientiae: Intellectum, siue iudicium, Praelati sensibus conformare.

CAPVT X.

PERFECTA obedientia non solum voluntatem praelato subiectam, sed & iudicium hominis obediens eidem maiori submissum requirit, ut sicut idem, quod superior vult, diligit; ita idem, quod ipse melius iudicat, con-

Aducibilis & vtilius sentiat, & iudicet. Hic autem est sextus gradus obedientiae proximè iam ad omnimodam obedientiae perfectionem accedens, ut nimirum subditus intellectum ac iudicium suum inclinet ad sentiendum, quod superior vtilius esse iudicat, dummodo nullum sit in mandato peccatum, & ad hunc assensum habendum rationes secum quaerat, & inueniat. Licet enim intellectus naturaliter assensum praebat his, quae sibi apparent omnino vera, tamen quoties rei euentia non cogitur, bene potest ad vtramvis partem rationes assensum extorquentes inuenire, & voluntatis pondere ad assentiendum vel dissentiendum inclinari. In his itaque verus obediens seipsum suasionibus, & quibuscumque modis potest, cogit, ut praelati mandatum aequum, & recta gubernationi consonum iudicet, ut sic cum illo non tantum opere, non tantum voluntate, verum & iudicio consentiat. Qui hoc obedientiae genus non est adeptus, necdum plene est in religiosam disciplinam ingressus. Cum enim duo sint quasi pedes animae, quibus ad caelestia properat, intellectus atque voluntas, vno tantum, scilicet voluntate, erit in religione, qua scilicet praelato, & obedientiae sibi iniunctae, consentit, & altero, scilicet intellectu, erit in saeculo, quo à praelato & ab obedientia dissentit. Et sicut loco portenti habitus est ille Angelus in Apocalypsi, qui posuit pedem suum dextrum super mare, sinistrum autem super terram: ita instat prodigij erit homo ille, qui pede voluntatis vitam religiosam tangit, pede vero iudicij propriam vitam saecularem, quae se ipsam regit & ducit, attingit. Est autem magnum horum duorum prodigiorum discrimen, quod illud Deus fecit, ut hominibus temporis consummationem ediceret; hoc vero superbia hominis facit, ut eum multis meritis vacuet, & vitam innumeris imperfectionibus scatenentem esse declaret. Nam tota vita religiosa continens quaedam obedientia est, unde tot erunt culpae, & imperfectiones eius, quot in obedientia culpae & imperfectiones extiterint. Manifestum est autem, obedientiae, cui deest intellectus, iudicijque submissio, huius spiritus perfectionem deesse, illique innumeras imperfectiones adesse.

DHas Beatus Pater noster Ignatius in illa verè aurea epistola sua grauissimis huiusce verbis comprehendit: Praeterea nisi haec obedientia iudicij existat, fieri non potest, ut vel consensus voluntatis, vel executio talis sit, qualem esse oportet: natura enim ita comparatum est, ut animi nostri vires, quae appetituae dicuntur, sequantur apprehensiuas: & nisi adhibita vi, voluntas, iudicio repugnante, diu obtemperare non poterit. Quod si forte quis aliquo temporis spatio obediat, per communem illam apprehensionem, qua censetur, perpetam etiam praecipienti parendum esse, certè id stabile ac fixum esse non potest: atque ita perseverantia deficit, vel saltem obedientiae perfectio, quae in promptè & alacriter obediendo consistit: non enim ibi potest esse alacritas ac diligentia, ubi est animorum sententiarumque dissensio. Perit etiam exequendi studium, & celeritas, cum ambigitur, expedit necne, facere quod iubemur: perit illa celebris obedientiae caeca simplicitas, cum apud nos ipsos in quaestionem vocamus, rectène praecipiat an secus; atque etiam fortasse damnamus superiorem, cum ea mandet, quae nobis non ita iucunda sunt: perit humilitas, quoniam etiam ex altera parte pareamus, ex altera tamen nosmetipsos superiori praefertimus: pe-

E

In vita. c. 6.

Apoc. 10. 2.

Ignat. ep. de obed. n. 12.

rit in rebus arduis fortitudo; petit denique (vt summatim complectar) virtutis huius vis omnis ac dignitas. Succedunt autem in eorum locum dolor, molestia, tarditas, lassitudo, obmurmurationes, excusationes, aliâque vitia non sanè leuia, quibus obedientiæ pretium, ac meritum profusè extinguitur. Hactenus noster Pater. Qui statim sua dicta verissima Bernardi sententia confirmat, quam integram volumus scribere. Sed iam tibi, inquit, in ipsa obedientiæ via aliqua fortassis dura, & aspera occurrere possunt, vt accipias interdum præcepta nonnulla, quæ licet salubria sint, minùs tamen suaui videantur. Hæc si molestè cœperis sustinere, si diudicare prælatum, si murmurare in corde; etiam si exterius impleas quod iubetur, non est hæc virtus patientiæ, sed velamentum malitiæ. Necessè est ergo, vt illucescat dies patientiæ, per quam omnia dura & aspera tacita amplectaris conscientia: te magis iudicans, & durius arguens, cui nimirum displicent, quæ ad salutem sunt: & in cogitatione tua semper partem magistri, quod potes, aduersus te metipsum iuuans; teque in omnibus accusare, ipsùmque magis excusare laborans.] Ecce quomodo Bernardus & incommoda obedientiæ sine submissione iudicij breuiter patefaciat, & naturam huius submissionis exponat. Vocat illam obedientiam, quæ prælatum iudicat, & aduersus imperata obmurmurat, velamentum malitiæ; quia opus externum exhibitum velamen est tumentis animi, & superbiæ latentis, qua prælatus damnatur, & reprehenditur. Si enim quis prælatum iudicans, nec opus externum præstaret, iam eius superbia & audacia qua prælatum condemnat, omnibus innotesceret. Tegitur autem externa obedientiæ exhibitione, qua contrarius sensus iniquè præsumptus minime ab aliis videtur. Perfectam autem obedientiam vsque ad submissionem iudicij procedentem in hoc vices suas occupare ait, vt homo seipsum audaciæ & insipientiæ aduersus prælatum insurgentem accuset, prælatum verò præcipientem excuset: rationesque inquirat, quibus sibi imperata, aut quolibet modo iniuncta vehementer arrideant.

Bernard.
form. 3.
circum-
cis.

Gen. 3.1.

Psal. 48.
13. & 21

Obedientia itaque iudicium subditi imperiis prælatorum submittens omnimodis tenenda est ei, qui voluerit seminaria plurimarum imperfectionum effugere, & aliquem gustum perfectionis accipere. Status enim innocentie admissione inquisitionis circa res obedientiæ profusè euannit. Cur præcepit vobis Deus, dixit serpens ad parentes nostros, vt non comederetis de omni ligno paradisi?] O (cur) detestabile! O quæstio, fons, & origo cunctarum humanarum quæstionum! O hæsitatio excidium pacis, exordium belli, & status culpæ mater infelix! Si hoc (cur) Eva non audisset, si audito pestilentie verbo mox refutasset, si de diuino præcepto non hæsitasset, numquam genus humanum tantam calamitatem incurrisset. Qui voluerit igitur, (vt fieri potest,) ad puritatem illius status redire, ineptas quæstiones super mandatis prælatorum relinquat, & simplici corde sibi iniunctis obediat. Iam, homo, per statum culpæ in animalium rationis expertum cæcitatem incidisti. Quia homo, cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.] Sed iumentum agafonis insula non discit, rationem itineris non exquirat, sed virga aut stimulo leuiter percussus obedit. In hoc tu iumentum imitare, & eius similitudo erit tibi non sicut antea ad ignominiam, sed

A ad gloriam. Cantabisque cum sancto Dauide: Vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum.] Populus ille Iudæorum factus est vt iumentum apud Dominum, quem admodum interpretatus est Augustinus, qua more pecudis sola terrena quærebat. At tu non in hoc pecudibus similis eris, quod terrenis inhæreas, sed in hoc quod simpliciter, & sine vlla discussione eorum, quæ imperantur, maioribus te subicias. Ita eris semper cum Domino, id est, illi te perfectè quoad voluntatem iudiciumque subicias. Sic perfectè fecit monachus ille, qui primùm in cenobium ingressus, ita secum cogitabat: Ego & iumentum vnum sumus. Hæcque simplicitate diaboli tentationes euasit, in pace vixit, & mirum in modum in omni virtute profecit. Certum est enim, eum, qui obedientiam examinat, & eorum, quæ iniunguntur, causas rationesque disquirat, sibi ipsi diabolum ac aduersarium esse, nam se ipse tentat, & à vera simplicitate, & sæpe à merito impositi iusti laboris alienat. Timeo, inquit Paulus, ne sicut serpens Etiam seduxit astutiã suã, ita corrumpatur sensus vestri, & excidant à simplicitate, quæ est in Christo.] Et ego formido ne aliquorum religiosorum nimia solertia, & vana ingenij subtilitas, eos sicut serpens decipiat, & sensus eorum stultitia corrumpat. Sensus enim noster corrumpitur, cum sub prætextu maioris scientiæ ad examinandos & iudicandos actus maiorum pertrahitur. Et excidit à simplicitate Christi, cum non Christi obedientiam sequitur, sed Euz curiosè de mandatis diuinis inquirentis superbiã imitatur.

Psal. 72.
23.

Aug. ib.

1. Corin.
11. 3.

C Id sanè nos deberet ad iudicij obedientiam incitare, quod qui eam non habet, onus grauissimum reputat se mandatis aliorum subicere. Quid enim grauius quàm actione præstare, quæ intellectus iudicat penitus non conuenire, aut quid importabilius quàm illa facere, quæ iudicamus non esse faciendâ, & illi parere, quem contemnimus, ipsùmque decipi, & perperam iubere sentimus? Porro imperfecti cordis, & infirma profusè voluntatis indicium est, inquit Bernardus, statuta seniorum studiosius discutere, hære ad singula, quæ iniunguntur, exigere de quibuscumque rationem, & malè suspicari de omni præcepto, cuius causa latuerit, nec vniquam libenter obedire, nisi cum audire contigerit, quod fortè libuerit, aut quod non aliter licere, seu expedire monstrauerit, vel aperta ratio, vel indubitata authoritas. Delicata factis, immo nimis molesta est huiusmodi obedientia. Non planè hæcilla est, quæ ex regula traditur, obedientia sine mora. Disputare perfectò hoc est, in actu cordis non in auditu auris obedire. Istiusmodi ergo carnalem animam non modò premi, sed etiam opprimi pondere præsumptæ perfectionis necesse est; quia non potest portare caro infirma, quod solus spiritus promptus experitur iugum esse suauis, & onus leue. Christi quippe iugum, & onus est, & omnino importabile nisi Christi æquè spiritui. Hæc ille.] Inde quidem nascitur, vt quis onus obedientiæ detrectet, & mandatorum sibi impositorum vincula frangat, quia melius existimat non obedire, quàm imprudenter in iniunctis, quamuis mala non appareant, obtemperare. Inde iustissimæ querimoniæ prælatorum, quibus minime debita obedientia præstatur; & scandala aliorum fratrum, quibus malum exemplum præbetur. Propterea monet Paulus: Omnia facite sine murmurationibus, & hæitationibus, vt sitis

Bernard.
de præ-
cept. &
dispens. 11.

D E

Philipp.
2. 14.

sine querela, & simplices filij Dei.] Nihil in congregatione laudabilius, nihil utilius, quam sine querela cōuersari: quod maximè laudi parētibus Ioannis Baptistæ in scriptura tributum est. Erant, inquit, iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mādatis, & iustificationibus Domini, sine querela.] Hoc autem consequetur, qui sine murmurationibus & hæsitacionibus iusta compleuerit. Ille sine murmuracionibus paret, qui voluntatem suam voluntati prælati subiicit: ille sine hæsitacionibus, qui intellectu suo prælati iudicio consentit. Qui hæsitat, similis est fluctui maris, qui à vento mouetur, & circumfertur.] Iam vult facere, quod sibi præcipitur, ne in inobedientia culpam incurrat; iam non vult facere, quia intellectu suo imprudenter, & sine ratione, mandatum illud, quod iniungitur, iudicat. Ecce sæuam tempestatem in corde inobedientis suscitatum, quam superbiæ ventus mandata discernentis immisit. A qua, si religiose, nequaquam te subtrahas, nisi iudicium tuum submisisset; & discessus inanes intellectus tui lotis perfectæ obedientia ligaueris. Si uolueris te exterius vincere, & obedire, dum iudicium contrarium non deponis, tristitiam super tristitiam habebis. Si nolueris parere, ut actio iudicio consentiat, gladio inobedientia confossus cades. Præcepit Moyses filiis Israël ne tunc in montem ascenderent. At illi contenebrati ascenderunt in verticem montis, fueruntque ab Amalecitis & Chanaanis partim trucidati, partim verò in fugam conuersi. Sic, qui suo iudicio persuasus aliquid agere contra obedientiam præsumpsit, non semel virtutem pro vitio commutabit.

Is dum non prælato, sed suo proprio iudicio consentit, rapinam quodammodo, & sacrilegium admittit. Rapinam quidem, quia rem alienam, nempe iudicium, quod prælato tradiderat, quasi per vim rapit; sacrilegium verò, quia rem Deo consecratam, & partem holocausti de se facti auferre non metuit. Et partem quidè meliorem, quoniam exterior operis executio, & voluntatis confessio, viliora sunt, si cum submissione iudicij conferantur. De hac rapina illud Isaia potest intelligi: Ego dominus diligens iudicium, & odio habens rapinam in holocausto.] Diligens inquam, iustitiam, qua cuique, quod suū est, tribuitur, & in holocausto illo, quo quis per religiosam professionem mihi consecratur, rapinam odio habeo. Si autè quamque rapinam huius holocausti Dominus detestatur, quanto magis illam, qua amabilior & præstantior pars, nimirum iudicium, surripitur? Nec mirū quòd hanc iudicij præsumptionem in tantum Deus odio habeat, cum in se magnam quandam peruersitatem contineat. Annon peruersum esset, si manus ultra caput totius corporis, aliud proprium caput haberet, quod eam cōtra directionem præcipui capitis moueret atque dirigeret? Sed talis est religiosus, qui vult non iudicio prælati sed proprio iudicio gubernari. Domus enim religiosa quasi vnum corpus est integrum, atque perfectum. Huius corporis caput est prælatus, subditi autem manibus, & pedibus, ac cæteris membris comparantur. Si ergo tu qui manus es, aut pes huius corporis, proprio iudicio regaris, nonne caput habes, quo capiti totius corporis aduerferis? Iam iudex iudicis tui, & capitis caput efficeris; etenimque illud Salomonis: Per tria mouetur terra, & quartum non potest sustinere.] Primum autem illorum trium explicans, subdit: Per feruum cum regnauerit:] terra tremit, & commouetur ad rem tam indignam; vel ipsi homines commouentur, & con-

turbantur ad rem tam intolerabilem, ut feruus scilicet regnet, & Dominus seruo subdatur. Eum autem, qui obedire debet, proprium iudicium habere, ab hoc malo nec lacum vnguem fecerunt; quia obedientia voto ligatus, pro seruo, & prælatus pro domino computatur.

Si ergo volumus ab his malis fugere, & obedientia perfectionem adipisci, iudicium nostrum prælati definitionibus subiiciamus. Non est pretiosus equus, qui fræno ori iniecto non facillè voluitur, nec subditus, qui iudicio proprio impeditus superioris mandato non facillè regitur. Ille ferri rigorem non sentiens, & habenas parui pendens, equitem in præcepis agit, & hic suum sensum superioris definitioni præponens, illum ad tristitiam mouet, & sibi ipsi excidium affert. Diuinitio, ait Salomon, in labiis regis, in iudicio non errabit os eius.] Quia videlicet Deus speciali quadam ratione adest maioribus, ut si mandata sua cum diuina lege componant, in his, quæ præcipiunt, non errent. Qui igitur horum mandata prætereunt, quæ diuinis præceptis non aduerfantur, manifestè se ipsos in laqueum præuaricationis coniciunt. Pars autem quodammodo periculi est mandata prætergredi, aut ea minus prouida & discreta iudicare. Hoc enim exordium inobedientia est, cum ille, qui mandatum indiscretum esse iudicat, data occasione, prætereat atque contemnat. Verus itaque obediens, qui Deum præcipientem in prælato cognoscit, rationem eorum quæ imperantur, non querat, causam non inuestiget, sed simpliciter dum peccatum in mandato non cernitur, sibi iniunctis obediat. Imitetur Paulum, sine vlla disquisitione iussis Domini obedientem, nullamque rationem, cur aliquid iubeatur, inuestigantem.

Nolo, inquit, vos ignorare, fratres, quia sæpe proposui venire ad vos, & prohibitus sum usque adhuc.] Quo loco Chrysostomus synceram Pauli obedientiam intemescens, sic scribit: Quòd fuerit prohibitus, dicit: quamobrem autem, non item; neque enim examinat Domini mandatum, sed paret tantum: quamquam par erat hæsitare, quanam de causa urbem tam splendidam, tam magnam, & ad quam sese totius orbis oculi conuerterent, prohiberet Deus, quominus talem magistrum, tanto iam tempore assequeretur. Si quidem quisquis imperantem dominantemque urbem vicerit, is & subditos paruo negotio adoriatur. At quisquis regaliore urbe missa subditis subigendis insidias parauerit, idem caput se negligere ostendit. Sed tamen nihil horum Paulus curiosè indagat. Quin potius incomprehensibili prouidentia cedit; partim animi sui moderatiōnem spectatam faciens, partim nos omnes erudiens, à Deo nunquam exigendam esse eorum, quæ facit, rationem, etiam si ea multorum animos turbare videantur. Domini enim solius est iubere, famulorum autem parere. Atque hac quidem de causa, quòd prohibitus sit, dicit: non etiam quare sit prohibitus. Neque enim ego id scio, inquit: ne ne igitur interrogetis, quanam sit Dei voluntas, aut sententia. Nam neque figmentum opifici dicit, quid me sic finxisti? Qua igitur, obsecro, de causa id & tu scire elaboras? nescis illum omnium curam habere? illum sapientem esse? illum nihil frustra, nihil temere agere? illum te magis amare quam proprij parentes ament? illum vehementissimè, ac longo quidem intervallo, & patris pietatem, & matris curam superare? Itaque nihil amplius peruestiga, nè ue ulterius progreditor. Hactenus ille.] Quòd si aliquis dicat,

Luc. 2.6.

Iacob. 5.6.

Num. 14.44.

Isa. 61.8.

Prou. 30.21.

Prou. 16.10.

Rom. 1.13. Chrysostomus. 2. ad Romanos. in eundem locum.

rationem mādatorum Dei non esse inuestigandam, cum errare non possit, rationem autem mandatorum hominis esse indagandam, quia errare possit; sciat se in hoc nō minimum errorem incurere. Primò, quoniam nos loquimur de mandatis Dei, in quibus non dubium quin etiam præcipiat Deus. Secundò, quia licet homo aliis prælatus, secundum prudentiam humanam errare possit, & aliquando erret, aliquid præcipiens quod bonæ gubernationi non conveniat, tamen ego non erro, dum ei, cui debeo, in his quæ legi Dei non repugnant, me ipsum subiicio. Illique ad pœnam imputabitur, quòd imprudenter imperavit, mihi verò ad meritum, quòd peccato non interueniente, simpliciter obediui. Tertiò, quoniam non multum est causam præceptorum Dei non querere, cuius voluntas est, regula sanctitatis, & iussio ipsa, est rectitudo. At causam humanæ iussionis non querere, cum homo decipi possit in mandatis suis, hoc cum peccatum manifestè non cernitur, summæ simplicitatis, & humilitatis est, & ideo in magno pretio habendum est.

Bern. lib. de præcep. c. 12.

At esto dubium sit, an prælatus peccatum præcipiat, quid faciendum est? An sine vlla discussione, & rationum indagazione obtemperandum? Ad hoc sic respondet Bernardus. Sed homines, inquis, faciliè falli in Dei voluntate de rebus dubiis percipienda, & in præcipienda fallere possunt. Sed enim quid hoc refert tua, qui conscius non es? præsertim cum teneas de scripturis, quia labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem ex ore eius requirunt, quia Angelus Domini exercituum est. Requiritur, dixerim, legem: non quam vel authentica vlla scriptura tradiderit, vel ratio manifesta probauerit: de huiusmodi quippe nec præceptor expectandus, nec prohibitor auscultandus est. Sed quod ita latere aut obscurum esse cognoscitur, ut in dubium venire possit, Vtrumnam Deus sic, aut aliter fortè velit, si non de labiis custodientibus scientiam, & ex ore angeli Domini exercituum certum reddatur. A quo denique diuina potius consilia requirentur, quàm ab illo cui credita est dispensatio mysteriorum Dei? Ipsum proinde, quem pro Deo habemus, tanquam Deum in his, quæ apertè non sunt contra Deum, audire debemus. Nec sanè contraria loquimur Sancto Prophætæ Samueli, quasi nos in hac parte diuinam hominibus tribuentes auctoritatem, cum ille in supra memorato capitulo planè discernere inter vtrumque videatur. Siquidem quod nos asserimus de dubiis, hoc ille negat de manifestis, ut cum ait: Si peccauerit vir in virum, subaudiatur propter Deum, cui apertè contraria homines hominibus frequenter mandare præsumunt. Hæc Bernardus.] Ad idem Guillelmus Parisiensis ait: Vbi verò dubitat subditus, an dicitur licitum, aut illicitum sit, quod iubet Prælatus, determinatum est, quia debet parere iussis prælati. Causa autem in hoc est, quoniam in huiusmodi dubiis ad consilium prælatorum recurrendum est, & eidem standum. In hoc enim subditis præpositi, sunt prælati, ut in eiusmodi consulant eisdem.] Et quidem communis Theologorum scholasticorum sententia est, in dubio an id, quod præcipit superior, licitum sit vel non, debere subditum etiam doctum conscientiam illam deponere, & mandatis obedire, præsertim si ex obedientia, ut iam diximus, nullum vel ipsi subdito, vel alteri proximo, nocumentum proueniat. Si autem in dubiis obediendum est, quanto magis in rebus manifestis, in quibus certum est nullum esse peccatum, est sine vlla discussione parendum? Certè

1. Reg. 2.

Guilhel. de virtut. c. 12.

A qui in his omnia discutit, cuncta discernit, falsò sibi obediens nomen arrogat, cum simplicitate indiuiduam perfectæ obedientiæ comitem omnino non habeat. Nec solum in malis omittendis, aut in medijs, siue indifferentibus præstandis, verum & in bonis faciendis sine vlla discussione causarum obediatis. Ut enim inquit Basilius: Porro vera perfectæque subiectorum aduersus moderatorem ordinis obedientia in eo cernitur, si quis ex eius consilio non à rebus modò flagitiosis abstineat, sed si, ne ea quidem quæ laudabilia sunt, sine sententia illius faciat. Nam abstinentia, & omnis corporis incommodorum permissio, vtiliter hæc quidem comparata ad aliquid sunt. At si quis propriæ obsequens voluntati spreto consilio antistitis sui, id facere voluerit, quidquid ipsi collibitum sit, hic plus erit, quod faciet mali, quàm quod boni. Qui enim potestati resistit, Dei ordinationi resistit, & præmium obedientiæ maius debetur, quàm rectè factum cum continentia. Hæc ille.] Qui sic subiectione voluntatis, & intellectus, in omnibus obediens, parum illi deest, ut omnem perfectionem obedientiæ possideat; illud autem est quod in sequenti gradu vniuersorum sublimissimo declarabimus.

Basil. ser. 2. de inffit. monach. chor.

Septimus Gradus Obedientiæ: cæcà quadam subiectione imperata facere.

C A P V T X I.

ROSTREMVVS hic obedientiæ gradus non aliter à præcedenti differt quàm castitas à continentia. Quemadmodum enim continentia admittit secum contradictionem appetitus carnalis in venerea diffluentijs, cui virtus animi vehementer obstitit; castitas verò magna ex parte appetitus bella profernit, ne in puritatem oblatret: Sic obedientia intellectus secum compatitur suasiones aliquas iudicij nostri aduersus imperata confurgentes, quæ vera obedientia reiicit, illisque respondet: at obedientia cæca rationes in contrarium non habet, sed columbina quadam simplicitate, iussis obedit. Quæ tamen hoc cæcitatatis nomen obedientiæ attributum quibusdam rem istam minus circumspèctè cogitantibus hoc nostro tempore inuisum fuit, necessarium erit prius illud exponere, & quid obedientia cæca sit, ne offendat oculos plus nimio fortassis humanæ prudentiæ amatores, quam Deus irridet, edicere. Ponendum est ergo nihil obedientia cæca perspicacius, nihil sapientius. Dionysius Areopagita doctam quandam ignorantiam laudat, qua de Deo nihil affirmamus, nihil cognoscimus; quia illa dum ab eo conceptus limitatos rerum creaturarum auferimus, sub docta caligine ipsum illimitatum & infinitum confitemur. Ita & patres statim referendi, cæcam obedientiam miris laudibus extollunt, quia ad noxiam libertatem oculos non habens, ad id, quod oportet, lumen sapientiæ possidet. De primis parentibus ait Scriptura: Erat autem vterque nudus, Adam scilicet & vxor eius; & non erubescabant.] Illi ergo cæci exant ad erubescendum, videntes autem & satis perspicaces oculos habentes, ad simpliciter & sine pudore contuendum. Sed numquid sapientiores fuerunt, quando aperti sunt oculi ambotum, & cognouerunt se esse nudos? Nemo puto sanæ mentis hoc dicet. Ergo quadam potest esse cæcitas scie

Genes. 2. 26. Genes. 3. 7.

oculorum

Aug. 14.
de Civit.
c. 17.

oculorum oclusio, quæ lumini oculorum præster, & quædam ignorantia, quæ inanem, & garrulam scientiam superet. Aperti sunt oculi amborum, inquit Augustinus, non ad videndum, nam & antea videbant, sed ad discernendum inter bonum, quod amiserant, & malum in quod ceciderant. Habet itaque perfecta obedientia, qualis fuit in statu innocentie, oculos ad videndum, & cæca erat ad discernendum. Habet autem inobedientia oculos ad discernendum, & indagandum de necessitate præcepti, & cæca est ad malum, quod ex transgressione præcepti nasciturum erat contuendum. Vtraque videns, utraque cæca: sed illa sapienter videns, & circumspèctè cæca ad salutem; hæc insipienter videns, & temerariè cæca ad suam perditionem. Non igitur nos terreat perfectæ obedientiæ cæcitas, quia ita cæca est, ut magnam sapientiam non perdat, ita oculis stultitiæ clausa, ut oculos prudentiæ non amittat.

Audi nunc, o lector, obedientia cæca quam pulchros oculos habeat, & quam turpibus oculis careat. Habet illa oculos ut videat, quia ille qui præcipit, prælatus est, quia locum Dei tenet, & ab eo iubendi potestatem accepit; quia nullum manifestum peccatum, nihilque per se illicitum iniungit. Hæc videt. At non videt nec curat, an prælatus, multis Dei dominis, an paucis præditus sit, an defectus & infirmitates hominis habeat, an sanctitate polleat, vel peccatis sordet: nec tandem scrutatur cur hæc vel illa præcipiat. Hanc obedientiæ rationem B. P. N. Ignatius ducto à maiori ad minus argumento, fidei divini exemplo luculenter exposuit. Quemadmodum cum mysterium aliquod fidei nobis proponitur, rationes eius nequaquam disquirimus, sed impetu virtutis Theologiæ nobis infusa ad credendum & assentiendum ferimur, ita cum aliquid à prælato nobis iniungitur, sine vlla investigatione rationum vel causarum, oportet ut virtute obedientiæ ad exequendum ducamur. In hoc tamen debet esse discrimen, quod quia Deus non potest dicere nisi verum, nihil aliud expectandum est ad credendum, nisi scire quod Deus dicit. At quia homo peccatum iubere possit, ideo ad obediendum duo videnda sunt, & quod prælatus præcipit, & quod nihil malum manifestum præcipiat. At in his, in quibus nullo peccatum esse constat, perfecta obedientia, magna simplicitate, & sine vlla disquisitione rationum, cur hoc aut illud præcipiatur, obtemperat. Unde hic obedientiæ gradus in hoc positus est, ut quis audito superioris verbo, perspectaque aliquo modo eius voluntate, sapientissima lynceitate statim obediatur, & nihil omnino disquirat. Qui obediendi modus cum in habitum, assuetudinemque transierit, & à iudicio obedientis, impugnationem rationum in oppositum insurgentium depulerit, perfectissimam obedientiam à patribus exemplo doctrinæque probatam constituit.

Huius obedientiæ perfectissimum exemplar fuit Abraham: qui iussus filium immolare, & filium vnigenitum, ac sibi charissimum, ex quo erat secundum promissam Dei posteritatem susceperurus, statim eadem nocte surrexit, & nihil interrogans, nihil inuestigans, ad filium occidendum properat, ut Dei sibi loquentis præceptis obediatur. Audi quam pulchre Bernardus hanc obedientiæ Abrahamæ tum difficultatem, tum promptitudinem ac simplicitatem expendat. O quanta in verbis istis amaritudo, quanta à corde patris separatio pietatis? Iubetur namque filium occidere, os ex ossibus suis, & carnem de carne sua: filium magnæ promissionis, & extremæ feneçutis, propriæ mu-

A licis; filium mirabiliter promissum, feliciter natum, educatum innocenter. Et ne quid deesset, ut terrimum intra paterna viscera doloris incendium exundaret, additur, vnigenitum. Sunt namque multi filij, sed non vnigeniti. Ille sic est filius, ut & vnigenitus. Ille vnicus patri, vnigenitus matri, hæreditati referuatus. Ne respicias ad Ismael, quia qui in seruitute & ex ancilla genitus fuerat, ad libertatem & hæreditatem minimè pertinebat. Quia verò multi sunt filij, & vnigeniti, sed non dilecti; ad exaggerandum in corde patris tribulationem, & comprobandum in mente iusti obedientiam, Dominus subiungit quem diligis. Vi verò teneritudo patris ex memoria dilecti nominis recudesceret, & interior pietas ad dilectæ vocis sonum tota ferueret, puer vocatur ex nomine, quod vocatum erat à Domino, priusquam in utero conciperetur. Vides quantis tribulationum malleis Abrahamæ pietas feriatur, cui præcipitur ut filium tollat, occidat vnigenitum, quem diligit immolet, Isaac percutiat? Multum tentatus, multum probatus; adustus est multum: dulcis relatio filij ad patrem, patris ad filium. Hanc dulcedinem, & omnis affectus vicissitudinem obliuiscitur.

B Abraham sternit asinum suum, ligna componit, ignem accedit, eximit gladium. Non à Domino quaerit, quare? non murmurat, non conqueritur, non saltem vultum doloris ostendit, sed omnium quæ præcipiuntur ignarus, in mortem filij pia crudelitate festinat. Ideo summæ & admirabilis obedientiæ virtus in Abraham, & singularis excellentiæ laudibus prædicanda. Hactenus ille. Sed quam accepta fuerit Domino hæc obedientiæ simplicitas, ex præmio propter illam Abrahamæ dato satis elucet. Per meritum iuravi, dicit Dominus: quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio vnigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, & velut arenam, quæ est in litore maris: possidebit semen tuum portas inimicorum suorum: & benedicentur in semine tuo omnes tribus terræ, quia obedisti voci meæ. Tu, ut simpliciter obediens, maledictionem orbitatis non timuisti: ego benedicam tibi. Tu posteritatem tam desideratam propter obedientiæ bonum contempsisti: ego multiplicabo semen tuum, ut prius terram repleat, atque possideat, & postea in cælo ut stellæ resplendeat. Tu maledicta hominum non horruisti, qui te forte filicidam vocarent: ego causa feminis tui, id est Christi, non solum tibi, sed & cunctis hominibus benedicam. Ecce patrem credentium: immo ecce patrem obedientium; ut præmium eius habeas, ipsius simplicem obedientiam addices.

D Samuel etiam datus est in huius obedientiæ simplicissimi exemplum, qui vocatus à Domino, putansque se ab Heli sacerdote vocari, inter pestilentia nocte ter è lecto surrexit, ter ad magistrum accessit, ter ad lectum repedaui, ad iussum eius, Domino, quem nondum sciebat, eiusque nunquam vocem audierat, fidenter respondit, & illam vocem veri obedientis edidit: [Loquere Domine, quia audit seruus tuus.] Nec dixit intra semetipsum: Hic delirus senex iam me vocat, iam suæ importunitatis & leuitatis oblitus, à Deo (quem nunquam audiui) vocari me putat. Dormiam igitur, & iuanium vocum nullam rationem habens usque ad auroram requiescam. Hæc, inquam, non cogitavit, sed obediuit, & in obedientiæ mercedem Dei alloquia, & prophetiæ donum accepit. Puer, inquit Gregorius, humiliter homini subiectus, atque obedientiæ ardua arce sublimatus, dum vocatus accessit,

Ignat. in
epist. de
obed. c. 18

Gen. 22.

Bern. de
grad. obedi.
c. 1.

Gen. 22.
16.

1. Reg. 3.
10.

Greg. ex-
pos. 12. in
caput 3.
1. Reg. 11.

iusus redit: quid aliud nobis exemplo præbet, nisi altissimæ formam obedientiæ? Vera namque obedientia nec propositorum intentionem discutit, nec præcepta discernit: quia qui omne vitæ suæ iudicium maiori subdit, in hoc solo gaudet, si quod sibi præcipitur, operatur. Nescit enim iudicare, quisquis perfectè didicerit obedire: quia hoc tantum bonum putat, si præceptis obediat.] Jam vides, quam Gregorius altissimam obedientiam vocat, illam scilicet, quæ rationem eorum, quæ iubentur, non petit, quæ discussionem non admittit. Qua ignorantia aut cæcitate sua tantum abest vt desipiat, quod potius eatenus sapiens & perfectæ est, quatenus rationum, seu causarum præcepti indagatix non est.

Sed vt ex nouo Testamento aliquid adducamus, Paulus huius cæcæ obedientiæ in se formam exhibuit. Surgens enim ille vt ad præceptum Domini, qui eum ex equo deiecit, Damascum ingrederetur, apertis oculis nihil videbat, & manibus comitum suorum debuit in Damascum deportari. [Ibi autem erat tribus diebus non videns, & non manducauit neque bibit.] In hac historia sanè mirabili formam perfectæ obedientiæ conspicio, & delineatum verum obedientem agnosco. Quod in corpore Pauli gerebatur, idem suo modo in corde eius Dominus operatus est. Surrexit non videns corpore. Surrexit quoque non discernens corde, cur sic à Domino fuerit percussus, solum præceptum sibi impositum cogitans, & de quaerendo Anania, & de ei se subiiciendo apud se agens. Tribus diebus non vidit, vt cadentibus ab oculis eius squammis clariùs postea lucidiùs videret. Sic prorsus perfectus obediens, auditio prælati iussu, surgat ad obediendum non videns, id est, mandatorum causam non disquirens, & se aliorum manibus, qui vtique cæci non sunt, se duci permittens. Tribus diebus nimirum in initio, & in medio, & in fine conuersionis suæ non videat, vt post hanc vitam perspicacissimis oculis eximium suæ obedientiæ præmium aspiciat. Cæcitas ad maius lumen habendum non semel profecit. Nam & Democritum Gellius tradit, luminibus se sponte priuasse, vt posset liberiùs philosophari. Et quidem oculorum acies parum philosophiæ nocet, at mentis temeritas, quæ prælatorum mandata disquiret, non modicum spiritui perfectionis detrimentum affert.

Quis ex vobis, ait Iffias, timens Dominum, audiens vocem serui sui?] Quis, inquam, timorem Domini in corde suo libens exceperit? Quis vocem Christi, qui formam serui induit, ad obediendum audiuit? & respondet [Qui ambulauit in tenebris, & non est lumen ei, speret in nomine Domini, & innitatur super Deum suum.] Is certè, qui has securissimas tenebras amat, qui lucem humanæ rationis, qua sibi imperata examinare poterat, habere recusat, speret quòd à Domino dirigitur, ne cadat, & in eo tantquam in verissimo adiutore confidat.

Iam quomodo hanc obedientiam cæcam scripturæ exemplis illustratam Patres tradant, & doceant, videamus. Basilium, cuius verba supra citauimus, seriuò monet, ne religiosi eorum quæ sibi imperantur, aliquam ob antilite rationem poscant. Et alio loco. Vt sint velut oues, & vt instrumenta in anima, quorum illæ ouina simplicitate sinunt se duci, & hæc sine vlla contradictione permittunt se moueri. Atque alio loco, quid faciendum sit, cum aliquid præcipitur, quod vires nostras superare videatur, sic tradit: Verùm vbi quis, semel se in reliquum fratrum corpus cooprandum tradiderit, is si membrum postea ad ministrandum aptum iudicatum fuerit, esto quòd sibi impositum sit, vires ipsius

A videatur superare, de iudicij periculo prorsus illum esse sollicitum finito, qui ea imperet, quibus vires suæ pares esse non possint; ipse autem parendo, obediendoque alacritatem pro virili declarat studij sui vique ad mortem, memoria assidue Dominum tenens, qui factus fuit obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.

Hieronymus. Præpositum monasterij timeas, vt dominum diligas, vt parentem, credas salutare quidquid ille præceperit, nec de maiorum sententia iudices, cuius officij est obedire, & implere, quæ iussa sunt: dicente Moysè: Audi Israël, & tace.] Nihil autem aliud nos vocamus cæca obedientia parere, nisi de maiorum sententia minimè iudicare.

B Augustinus, cuius sententiam adducit Bonaventura, aliquid dicit, quo cæcam obedientiam commendat. Obedientia, inquit, debet esse prompta sine dilatione, deuota sine designatione, voluntaria sine contradictione, simplex sine discussione, perseverans sine cessatione, ordinata sine deuiatione, iucunda sine turbatione, strenua sine pusillanimitate, & vniuersalis sine exceptione. Qualiter nos audimus nostros superiores, taliter nostras exaudit Deus orationes.] Verbum illud, simplex sine discussione, ab obedientia oculis humanæ prudentiæ tollit, & prudentiam spiritus maiorum præcepta non discernentem docet.

C Ioannes Cassianus iustificè hanc perfectionem obedientiæ declarat. nam quodam loco ait: Sicque Monachi Ægyptij vniuersa complere quæcumque fuerint ab eo præcepta, tanquam à Deo sint cælitus edita sine vlla discussione festinant, vt nonnumquam etiam impossibilia sibi imperata eadem fide ac deuotione suscipiant, vt tota virtute, ac sine vlla cordis hesitatione ea perficere & conuincere nitantur, & nec impossibilitatem quidem præcepti pro senioris reuerentia metiantur. & alio loco:

Verùm & quantum hoc præ omnibus excole, quod hæc quæ supra diximus tria cõmentet, atque ornet, id est, vt stultum te secundum Apostoli sententiam, facias, in hoc mundo, vt sis sapiens. Nihil scilicet discens, nihil diudicans ex his, quæ tibi fuerint imperata; sed cum omni simplicitate ac fide obedientiam semper exhibeas, illud tantummodo scõdum, illud vtile, illud sapiens esse iudicans, quicquid tibi vel lex Dei, vel senioris examen indixerit. Tali enim institutione fundatus sub hac disciplina poteris durare perpetuò, & de cænobio nullis tentationibus inimici, nullis factionibus deuolueris. Et alio loco periculum eorum, qui oculos habent vt maiorum instituta diiudicent sic exponit. Quamobrem si vos, quemadmodum credimus, Dei causa ad æmulationem nostræ cognitionis attraxit, omnibus institutis, quibus illic primordia vestra præuenta sunt penitus abdicatis, quæcumque Seniores nostros agere, vel tradere videritis, summa humilitate sectamini. Neque vos moueat, aut ab imitatione diuertat, ac retrahat, etiam si vobis ad præsens alicuius rei vel facti ratio, vel causa non liqueat; quia eos, qui bene de cunctis, ac simpliciter sentiunt, & vniuersa quæ à senioribus tradi gerive perspexerint, fideliter imitari magis quàm discutere student, per operis experientiam rerum etiam omnium scientia sublequetur. Cæterùm nunquam rationem veritatis intrabit, quisquis à discussione cõperit erudiri: quia videns eum inimicus suo potius quàm patrum iudicio confidentem, facillè in id vsque propellit, vt etiam illa, quæ maximè vtilia ac saluberima sunt, superflua ei videantur, & noxia. Atque ita præsumptione eius

callidus

Aster. 9. 8.9.

Gellius lib. 10. c. 17.

Iffias 50. 10.

Basilium cons. monast. c. 20 c. 33.

Reg. fuf. d. f. ur. c. 20.

Hieron. epist. 3. ad Ruf.

Bonavent. trac. cõs. collat. col. 3. tit. 2. pp. 56.

Cassian. lib. 4. de institut. c. 20.

eodem lib. 4. c. 17.

Cassian. col. 28. c. 3.

callidus hostis illudit, vt irrationabilibus diffinitionibus suis pertinaciter inhaerendo, hoc solummodo sibi sanctum esse persuadeat, quod rectum atque iustissimum suae tantum obstinationis errore censuerit.

Benedictus Abbas hanc eandem obedientiae perfectionem à suis monachis postulauit, cuius ista sunt verba: Si cui fratri aliqua forte grauius, aut impossibilia iniunguntur, suscipiat quidem iubentis imperium cum omni mansuetudine, & obedientia.]

Audi nunc quemadmodum Ioannes Climacus eandem obedientiam non tam scripserit, quam custodierit: in epistola enim proemiali ad alium Ioannem Abbatem sic ait: Quoniam verò Dei veri Patres nostri, veracisque scientiae magistri obedientiam diffiniant in his rebus quae supra vires sunt, nihil discernendo obtemperare praecipientibus, imbecillitatem nostram pie obliui, ea quae supra nos sunt, audacter tentare aggressi sumus. In quarto autem gradu scilicet saepe de hac obedientia loquitur, sic enim ait: Dominus illuminat caecos obedientium oculos ad contuendas magistrum virtutes, ideoque eos excecat ne defectus videant, contra verò bonis omnibus infestus demon facere conatur. & rursus. Cum tibi cogitatio suggererit, vt praelatum aut iudices aut damnos, ab ea non secus quam à fornicatione dissilias, nec profus huic serpenti requiem praestes, non locum, non initium, non ingressum; loquere ad huiusmodi draconem ac eum his verbis incesse: O maligne seductor, non ego iudicem meum iudicandum suscepi, sed idem me: non ego illius, sed ille mei dux esto. Eterum. Secure eis credamus in Domino, qui curam nostri susceperunt, etiam si quaedam imperent, quae contraria, ac salutis nostrae videantur aduersaria. Tunc enim fidelis ad illos nota veluti in fornace humilitas comprobatur. Hoc enim est verissimae fidei indicium, si contraria quam sperabamus aspicientes praecipientibus absque vlla hesitatione obtemperemus. Ex obedientia, vt diximus, humilitas nascitur, ex humilitate discretio, vt à magno quoque Cassiano in eo sermone quem de discretione conscripsit, venustissime atque altissime disputatum est. Ex discretione verò animo clarissimum lumen infunditur, ex quo etiam prauius nascitur. Quis igitur ad hoc tam praclarum iter obedientiae non laeto animo occurrat, cum ante se tantam bonorum copiam videat? De hac singulari virtute cantor ille optimus aiebat: Paraisti in dulcedine tua pauperi obedienti Deus,] praesentiam tuam in corde ipsius.

Multi possemus latissime ex Patribus adducere, vt hanc obedientiam caecam confirmaremus, sed quia partim in superioribus gradibus citata sunt, breuiter quibusdam additis concludamus. Casarius, Arelatenis Episcopus, inquit, Quidquid tibi à senioribus fuerit imperatum, accipe tanquam de caelo sicut de ore Dei prolatum. Nihil reprehendas, nihil discutas, in nullo profus murmurare praesumas, totum sanctum, totum iustum, & vtile iudica, quidquid tibi à praelato videris imperari.] Quoniam modo hac implebit, qui non iudicium suum in eorum, quae imperantur, rationis inquisitione caecerit? Bernardus ait. Perfecta obedientia maxime in incipiente est indiscreta; hoc est non discernere quid, vel quare praecipiat, sed ad hoc tantum niti, vt fideliter & humiliter fiat quod à maiore praecipitur.] Nominem autem indiscretam obedientiam eodem sensu vitur, quo nos nomine obedientiae caecae vsi sumus, vt iniuncto nobis aliquo bono opere, de rationibus nihil profus discernamus. Alio autem loco idem sanctus Pater Bernardus non tantum rem sed no-

men admittit, & obedientiam caecam appellat. Felix, inquit, caecitas, qua male quondam illuminati in praerogatione, tandem in conuersione oculi salubriter excantur. Et postea. Haec dico, charissimi, quia vereor nequis forte sit inter vos, qui solo se somnio praesumat illuminatum esse, nec iam aequanimitate patiatur ad manum trahi, sed ductorem se se profiteatur aliorum. Cui enim nec dum administrationis cura iniuncta est, cui necdum credita dispensatio, cui necdum praecipitur vt videat, & prouideat his, qui apertos oculos habentes nihil vident, quid hoc praesumere tentat, nisi quia meditatur inania, & quasi somnia vana sectatur?]

Anselmus eiusdem obedientiae meminit, cum propositis quatuor obedientiae generibus, ad quartum veniens ait: Mala est iussio, & bona obeditio, vt si poma cedrina, vel aliud aliquid, quod sine periculo haberi non posset, quis praelatus sibi afferri praeciperet. Vnde David aquam de cisterna sibi afferri praecipit: quae quia in periculo suorum allata est, praenituit praecipi, noluitque eam bibere.] Dicens enim hic doctor bonam esse obedientiam, qua subditus imprudenter iussis patet, si tamen nullum intercedat peccatum, dicit intellectum esse caecandum, nihilque à perfecto obediente super imperatis inquirendum.

Thomas Aquinas, audi nunc, quid de eadem obedientia dicat. Cum enim disputaret an quis posset aliquid impossibile faciendum eligere, & cum regulam Benedicti attulisset, dicentis, tentandum esse si quid impossibile praelatus iubeat: respondet. Hoc ideo dicitur, quia an aliquid sit possibile, subditus non debet suo iudicio diffinire, sed in vnoquoque iudicio superioris stare.] Quam maior obedientiae simplicitas, aut (si ita loqui liceat) quae maior caecitas à subdito exigere potest, quam vt, an sibi possibilia praecipiantur, non videat, sed ea agere toto nisu contendat?

Bona ventura multis in locis eiusdem obedientiae meminit. Quodam loco sic ait. Numquam de maiorum sententia iudicent, quorum officij est obedire, & implere quae iussa sunt, deinde si ad profectum volunt obedientiae peruenire, constanti secum deliberatione proponant, deuotè semper ad omnia obedire. Si quid igitur graue, vel impossibile forte iniungitur, suscipiant quidem cum omni mansuetudine iubentis imperium. Quod si omnino suarum virium pondus excedat, impossibilitatis suae causas, ei qui praest, patienter, & opportunè insinuent, non superbiendo, vel contradicendo, vel aliis leui murmure resistendo. Si adhuc superior in sua manserit sententia, ita sibi nouerint expedire, & ex charitate de adiutorio Dei consilij obediant. Alio loco sic: Quidquid superior eis vel praepositus, vel instructor iniunxerit, quasi diuinitus imperatum, statim vt veri obedientiae filij deuotè adimpleant: quidquid statuerit, immobiliter seruent, sciet, & quae aliquid transgredi sacrilegium putent. Credant salutare, quicquid ille praeciperit. Perfecta obedientia est in incipiente maxime indiscreta, id est, non discernere quid vel quare praecipiat, sed tantum ad hoc niti, vt fideliter & humiliter fiat quod à maiore praecipitur. Nouitium prudentem, incipientem, & sapientem, in cella diu posse consistere est impossibile, & in congregatione durare. Stultus fiat, vt sit sapiens. Secure per omnia obediat, vbi contra Deum nihil praecipitur. Discant ergo voluntates proprias frangere, alienoque iudicio & imperio ambulare. Rursus alio loco. Non enim sicut moderni nunc, ipsi tunc librabant hoc melius esse illo, hoc securius, hoc laudabilius, hoc facilius, sicut quidam nunc faciunt causa fugae, sed cuncta, quae sciebant

Sev. de
Conuer-
sionis Pau-
li.

Ansel. de
simili-
tu. l. c.
167.

D. Thom.
1. 2. q. 13.
ar. 5. ad
3.

Bona uer.
in specu-
lo. p. 1. c.
4.

Part. 2.
c. 3.

In simu-
lo amor.
c. 11.

esse praelatorum suorum beneplacita voluntati, dummodo non essent contra Deum, quantumcunque ardua & vilia forent, auiditate maxima adimplebant. Tanta enim in eis vigeat charitas, & obedientia promptitudo, vt ad iussa implenda nequaquam timerent discurrere super aquas, nec etiam formidarent ire ad capiendum leanas, cum eis erat iniunctum. Et breuiter ad multa alia ardua & difficilia, quae non sufficio enarrare, amore & nisu obedientia se simpliciter, alacriter, & vitiliter quam citius exponebant. Non enim iudicauit infructuosum illud esse, qui obediens Abbati, cum labore, quasi importabili, voluit per annum lignum aridum adquare, & ex hoc apparuit obedientiae celsitudo, quia quod mortuum fuerat, & aridum per obedientis meritum fecit fructum. Quid ergo de obedientia gloriamur? Numquid poterimus nos fortasse viti Apostolici nominari. Timeo quod nec etiam Christiani, sed potius tanquam imitatores Luciferi merito possimus daemioniaci appellari?

Humber. in epist. de tribus vocis.

Tandem Humbertus in quadam epistola ad fratres suos in variis locis illius sic ait: Vt autem obedientia vestra omnipotenti Deo sit acceptabilis, studeat habere promptam sine dilatione, deuotam sine dedignatione, voluntariam sine contradictione, simplicem sine discussione, ordinatam sine deuiatione, iucundam sine turbatione, strenuam sine pusillanimitate, vniuersalem sine exceptione, perseverantem sine cessatione. Et iterum. Quapropter dilectissimi sitis sicut aurum ductile, & quasi virga flexilis, quae recta & curua redditur ad libitum artificis, sitis vt rotae volubiles, quae secundum impetum spiritus mouebantur, sitis vt iumentum apud Deum, cuius dorso indifferenter quaelibet imponuntur. Et rursus. Tam simplex sit obedientia vestra, fratres, & iniuncta sine discussione facientes iudicetis de vestro, nec in minimo vos habere: nam quisquis intentionem praecipientis iudicat, bellum intrinsecus parat, per hoc enim quoddam causas mandatorum, quas ignorat, discutit, in labyrinthum erroneum se se ponit. Haec ibi. In tractatu autem de eruditione religiosorum manifeste ad eandem obedientiam hortatur his verbis: Non debet hominem regere in claustris proprius sensus, qui eum rexit in mundo. Non debet eum habere pro duce, qui in tot foucas eum praecipit. Non facietis ibi quae nos hic facimus hodie singuli quod sibi rectum videtur. Proprius sensus est oculus veteris hominis, oculus inquam caligans, sicut oculi solent in senibus caligare. Oculus iste est destruentus, sicut & caetera membra veteris hominis. Mortificate membra vestra, quae sunt super terram. Item, proprius sensus est oculus scandalizans, & ideo erudus. Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & proiice abs te. Sicut equus videns non est idoneus circuire a molam, sic qui in religione est, non est aptus volubilitati obedientiae, nisi oculus proprii sensus ei erutus fuerit. Proprius sensus est consiliarius infidelis: de quo non est confidendum, eo quod nimis coniunctus est carni. Noli consiliari cum socero tuo. Itē index est, qui merito suspectus habetur, eo quod inordinato amore, vel odio, vel timore peruertatur. Haec omnia doctorum dicta manifeste huc gradum obedientiae continent, quo perfecti viti caeca quadam subiectione se praelatis submitunt. In qua nihil omnino est periculi, quoniam (vt saepe dictum est) haec caecitas cognitionem eius, quod nobis iniungitur, non tollit, videntem nullam peccatum praecipere, sed inanes discursus super rebus imperatis auertit. Sapienter autem Patres hoc genus obedientiae magni faciunt, quoniam sine eo in congregationibus

Lib. 5. parte 2. cap. 16.

Deut. 12. 8.

Caloss. 3. 5.

Matt. 5. 29.

Ecl. 37. 7.

A religiosis vix poterit tranquillitas custodiri. Nam si subditi dispent, an bene mandata seu ordinata sunt, quae iniunguntur, & praelati pro se respondeant, & verbis satisfaciant, satis frequens erit inter eos altercatio, & quae inde solet oriri, sensum verborumque confusio. Vult nos Dominus pacifice in caulas caelestis patriae dirigere, de quo scriptum est: Qui regis Israel intende: qui deducis velut ouem Ioseph. Quomodo autem velut oues ducemur, si ouium simplicitate deponimus, & vulpecularum in omnibus, quae iniunguntur, astutiam & dupliciter assumimus? Longe aberit a cordibus illorum, qui oculos habent ad iudicandos praelatos amabilis spiritualium ouium humilitas. Verè namque qui mandata praelatorum iudicat, & omnium rationem exigit, non se subditum sed superiorem exhibet. Cum praelati sit eorum, quae in domo sunt, causas & rationes inquirere. Is non tam obediens, quam, quia aliquid iustum suis rationibus iudicauit, illud proprio arbitratu praestabit. Hi etiam, qui ad discernendas res obedientiae oculos apertos habent, nec dum sciunt Christi personam in praelatis agnoscere. An si Christus ipse aliquis imperaret, audent rationem exigere? Cur ergo audent causam a praelatis exquirere, & eorum mandata iudicare, si in illis Christum agnoscunt? At praelatus, inquis, non est Christus? Fateor, Homo enim est, & homo fallibilis, qui in multis errare, & decipi poterit. Sed Christi personam refert, qui in illo, & per illum praecipit, quoad nullum peccatum praecipitur. Et sanè, o vir Dei, si te totum immediate Christo regendum traderes, absque dubio te certissime in aeternas sedes dirigeret. Potens est autem per Ecclesiam praelatos idem facere, quod nullo medio interiecto per se ipse praestaret. Si ergo illis te ipsum totum, tuaque committas, & simpliciter propter Dominum illis obedias, & nihil profus de ratione eorum, quae imperantur, inquiras, bene poteris credere, quia per illos te in caelum dirigit, & absque villo perfectionis discrimine gubernabit.

Ps. 79. 1.

Magnum periculum est etiam in his, quorum ratio non apparet, praelatorum iussis contraire. Quidam ex filiis prophetarum noluit alterum sibi ore Domini praecipientem, vt ipsum feriret, percutere, existimans rationi consonum non esse innocentem poena multare. Audit autem: Quia noluit audire vocem Domini, ecce recedes a me, & percutiet te Leo.] a Leonè que occisus est, propterea quod noluit simpliciter obedire. Sic multi, quia oculos habent vt inepte videant, & rationem, vt maiorum iussa contra rationem examinent, vitam animae aut periculo exponunt, aut perdunt, quia in iis, ad quae tenebantur, non obediunt.

1. Reg. 20. 36.

Si bonum itaque aut non manifeste malum tibi praecipitur, absque vlla discussione obedias necesse est, siue praelatus iubens bonus sit, siue malus. Vt enim, inquit Hugo, nec bonis obediens in malo, nec peruersis contradices in bono. Filij Israel ausi sunt explorare terram, quam eis promiserat Dominus, & inde quid sequutum est, nisi vt timerent ingredi eam? vnde dixerunt: Nuntij (quos scilicet ad explorandam terram misimus) terruerunt cor nostrum. Ex timore autem & diffidentia factum est, vt indignatus Deus, terram illam timidis ac diffidentibus denegauerit, & in filiis eorum, qui non peccauerunt, suam promissionem impleuerit. Voxque ipsius fuit: Non videbit quispiam de hominibus generationis huius pessimam terram bonam, quam sub iuramento pollicitus sum patribus vestris. Sic profus si mandata Domini ore praelatorum exposita ceperis explorare, si rationes & causas disquirere,

Hugo 2. de clau. su. am. m. 5. 13.

Deut. 1. 28.

Deut. 1. 35.

si dif

si difficultatem meditari, vano timore percussus sa-
pe ab opere tibi iniuncto dissilies, & terram bonam,
id est, primum labori iniuncto promissum, amittes.
Signum magnum superbiae est, ad omnia, quae præci-
piuntur, herere, & ea velle trutina nostrae rationis
expendere. Nec quisquam poterit, (authore Cassia-
no) superbiam omnium vitiorum genericem extin-
guere, & veram humilitatem assequi, qui non hoc
obedientiae genus habere contenderit. Quod nul-
latenus, inquit, poterimus implere, nisi abrenun-
tatio vera, quae in expoliatione omnium facultatum, ac
nuditate consistit, in nobis fuerit Christi amore fan-
data: deinde obedientiam iugam, & subiectam, simpli-
ci corde, ac sine vlla fuerit simulatione suscepta, ita
ut præter Abbatis mandatum, nulla penitus volun-
tas viuat in nobis. Quod non aliter obseruari pote-
rit, nisi quis non solum se mortuum huic mundo,
verum etiam insipientem iudicari, ac stultum, vni-
uersa quae sibi fuerint à senioribus imperata, sine vlla
discussione perficiens, sacrosancta ea credens ac di-
uinitus promulgata. Eia igitur qui humilitatis sta-
tum suscepisti, qui non ad quamlibet, sed ad perfe-
ctam virtutem aspirare decreuisti, ecce tibi descripti
obedientiam perfectam, obedientiam sapientem,
obedientiam caecam. Quae quo minus mundani lu-
minis ad vanè discernendum habet, eo est & repu-
tatur sapientior. Quia ea conatur scire, quae sibi ex-
pediunt, scilicet superiorem locum Dei tenentem
præcipere, & nihil Dei legi aduersum iniungere: & ea,
quae nihil referunt, nempe quare hoc, aut illud præci-
piatur, sapientissimè eligit ignorare.

*Septimus Gradus Obedientiae caecae
exemplis illustratur.*

CAPVT XII.

SANCTA haec & simplex obedientia
quae ad significandam eius simplicita-
tem, caeca dicitur, non est virtus aut so-
lo ore prolata, aut sola mente conce-
pta, sed in omni aetate à perfectis reli-
giosis executioni mandata. Quam præter consueta-
dinem nostram volumus hoc loco exemplis confir-
mare, ut eam semper in vsu fuisse apud veros religio-
sos omnibus pateat, & ut ipsius naturam non iam
verba, sed sanctorum actiones ostendant. Licet au-
tem minima societas nostra illustrissima, & plurima
huiusce virtutis exempla suppeteret, volumus ea
aliis fratribus nostris, qui haec & luculentius, & ex
professo notabunt, scribenda relinquere, & solum
antiqua, & à tam grauiusculis & sapientissimis viris
scripta, in medium adducere, ut planè stultum sit, aut
ea in dubium vocare, aut huic simplicissimae obe-
dientiae tantorum doctorum autoritate probatae
contraire.

Dominus igitur, hanc obedientiam caecam se gra-
tissimam habere, sanctissimorum virorum exemplis
& miraculis declarauit; & nobis æstimandam imi-
tandamque proposuit. Quae non obsecrè, ut in his
quae verbis dicuntur, fieri solet, sed clarè & manifestè
docent, quid sit caeca obedientia parere, & in iussis
maiorum sapientissima quaedam ignorantia nescire.
Horum quatuor in Cassiano reperimus, tria Ioan-
nis Abbatis sanctissimi, & quartum Abbatis Mucij,
cui illis temporibus fuit sanctitatis palma tributa. Sic
ergo Cassianus ait: Sumpsit itaque de lignario suo
Abbas virgultum, quod olim excisum vltibus foci

A fuerat præparatum: dumque coctionis tardat, occa-
sio, non modò aridum, sed propè putre temporis ve-
tustate iacebat. Cùmque hoc coram Ioanne fixisset
in terram, præcepit adueta aqua bis rigari, ut scilicet
diuturnis humoribus radicum, atque in antiquam
arborescentem, diffusis ramis amoenitatem ocu-
lis, atque vmbra culum in æstu feruenti, subter resi-
dentibus exhiberet. Quod præceptum veneratione
solita, sine vlla impossibilitatis consideratione suspi-
ciens adolescens, ita quoridianis diebus expleuit, ut
aquam per duo ferme milliaria in desinenter appor-
tans, nullatenus lignum rigare cessaret; atque per to-
tum anni spatium non infirmitas corporis, non festi-
uitatis solemnitas, non occupatio necessitatis vlli-
us, quae illam etiam honestè excusaret ab executione
mandati, non denique hyemis asperitas intercedens,
ab huius obseruatione præcepti potuerit impedire.
Cùmque eius hanc sedulitatem tacitus senex diebus
singulis exploraret, & videret eum simplici cordis
affectu mandatum suum velut emissum diuinitus si-
ne vlla mutatione vultus, vel rationis discussione
seruare, sinceram humilitatis eius obedientiam com-
probans, pariter etiam miserans tam longum labo-
rem, quem per totum anni spatium studio deuotio-
nis impenderat, ad virgultum aridum accedens: O,
inquit, Ioannes, misitne radices hæc arbor, annon?
Cùmque ille se nescire dixisset, senex velut inquirens
rei veritatem, & tanquam tentans vtrum suis radici-
bus niteretur, euellit coram ipso leui commotione
virgultum, sicque proiciens illud præcepit ut dein-
ceps rigare desineret.

C Itaque, cum huiusmodi exercitiis eruditus, quoti-
die iuuenis in hac parendi virtute succresceret, &
humilitatis eius enitesceret gratia, atque obedientiae
suavis odor per monasteria vniuersa fragraret; qui-
dam fratrum, probationis, immo ædificationis ob-
tentu, venientes ad senem, cum subiectionem eius,
quam audierant, mirarentur, vocans eum repente se-
nex: Ascendens, ait, & sumens lenticulam olei (quae
sola in eremo suis vel aduentum vltibus liquo-
rem pinguedinis tenuissimum ministrabat) deorsum
proiice per fenestram. Quam ille, cum ad superiora
concitus peruolasset, per fenestram proferens com-
minuendam dimisit in terram; parum cogitans, vel
retractans præcepti ineptiam, diuturnam necessita-
tem, infirmitatem corporis, penuriam sumptuum,
eremi squalentis angustias, ac difficultates, in qua
etiam si pecunia suppeditaret, nihilominus perditam
speciem inueniri repararique non posset.

D Aliis rursus ædificari cupientibus obedientiae hu-
ius exem plo vocans eum senior: Cure, inquit, Ioan-
nes, saxum illud huc aduolue quantocyus. Qui con-
festim saxum immane, quod vel turbæ hominum
multa mouere non possent; applicita nunc ceruice,
nunc toto pectore, tanto nisu atque conatu prouol-
uere contendebat, ut sudore omnium membrorum,
non solum totum insunderet vestimentum, sed etiam
saxum ipsum suis cervicibus humectaret. In hoc quo-
que parum metiens impossibilitatem, præcepti, vel
facti pro reuerentia senioris, & obsequij simplici-
tate sincera, quae credebat tota fide senem nihil posse
incautum ac sine ratione præcipere. Hæc de
Ioanne.

E De Mucio verò sic ait: Hic namque abrenuncia-
re desiderans huic mundo, tam diu pro foribus mo-
nasterij excubans perdurauit, donec immobili per-
seuerantia sua contra omnem consuetudinem cœ-
nobiorum, cum filio paruulo, qui octo circiter erat
annorum, ut susciperetur, eliceret. Cùmque tan-
dem recepti fuissent, confestim non solum diuersis

præcepto

Cass. lib.
12. de Spi-
ritu su-
perbia. 6.
32.

Cap. 25.

Cap. 25.

Cap. 26.

præceptoribus traditi, verum etiam cellæ habitatione se iuncti sunt, ne scilicet iugi visione paruuli remissiceretur pater, ex omni sua quam renuncians, abiecerat, facultate, atque affectione carnali, saltem sibi filium superesse: & quemadmodum se iam dignem non esse sciebat, ita etiam patrem se esse dediceret. Quod ut plenius probaretur, vtrum videlicet pluris faceret affectionem sanguinis, ac suorum viscerum charitatem, quam obedientiam, & mortificationem Christi, quam renuncians quisque pro eius debet amore præferre, de industria negligebatur paruulus, pannis potius quam vestimentis indutus, sordibus quoque ita oblitus, ac sordatus, ut offendere potius quam delectare paternos oculos posset, quoties ab eo fuisset aspectus: etiam colaphis atque alapis expositus diuersorum, quas plerumque sub obtutibus suis innocenti paruulo etiam gratis cernebat inferri, ita ut numquam genas eius nisi sordentibus lacrymarum vestigijs videret infectas. Cumque taliter infans sub oculis eius per dies singulos ageretur, pro amore nihilominus Christi, & obedientia virtute, rigida semper atque immobilia patris viscera permanserunt. Non enim reputabat suum filium, quem secum pariter obrulerat Christo; nec curabat de presentibus eius iniurijs, sed potius exultabat, quod eas nequaquam infructuose tolerare cernebat, parum cogitans de lacrymis eius, sed de propria humilitate ac perfectione sollicitus. Quam distractionem mentis illius, atque immobilem rigorem peruidens cœnobij senior, ad comprobendam penitus animi eius constantiam, cum plorare quodam die vidisset infantem, simulans se aduersus eum commotum, præcepit patri ut tollens eum iactaret in flumē. Tunc ille, velut à Domino hoc sibi præceptum esset, confestim celeri cursu rapiens filium, vlnis proprijs vsque ad ora fluminis iactaturus aduexit. Quod profectò feruore fidei, & obedientia eius fuisset opere cōsummatum, nisi procurari fuissent de industria fratres, qui sollicitè ripam fluminis obsiderent, proiectumque iam quodammodo de fluminis alueo paruulum rapuissent, & consummationem præcepti, obsequio patris, ac deuotione impletam, ab effectu operis, atque ab ipso sine reuocassent, cuius fides atque deuotio in tantum Deo fuit accepta, ut diuino statim testimonio comprobata sit. Reuelatum namque est continuo seniori, hac cum obedientia Abraham Patriarchæ opus implese. Cumque breui tempore Abbas cœnobij de mundi huius commoratione migraret ad Dominum; hunc præponens cunctis fratribus, successorem sibi, atque Abbatem monasterio dereliquit. Iam horum duorum religiosorum obedientiam auersit, fructum autem huius obedientia ex eiusdem Cassiani verbis addiscas, quorum ille ad tantam sanctitatem, ac perfectionis opinionem peruenit, ut Theodosius imperator absque eius responsis, & orationibus præuis, ad bella non auderet accedere. Hic verò ex profecto obediente optimus prælatus factus, alijs à Domino datus est in perfectissimum virtutum exemplar. Mirum est enim quòd nos, cum nondum didicerimus perfecte obedire, sciamus alijs fratribus imperare.

Gen. 22.

Sulpicius

Sulpicius Seuerus aliud narrat, exemplo illi primo Abbatis Ioannis simile, nisi quòd mirabiliorem habuit euentum: sic ille ait: In quodam monasterio factum, quod dicturus sum, recenti memoria ferebatur. Quidam itidem ad eundem Abbatem recipiendus aduenerat, cum prima ei lex obedientia poneretur, ac perpetuam polliceretur patientiam: casu Abbas storacinam virgam, iam pridem manu gerebat: hanc solo fixit, atque illi aduena id operis impo-

nit, ut tamdiu virgulæ aquam irriguam ministraret, donec, quod contra omnem naturam erat, lignum aridum in solo arente viuificeret. Subiectus aduena dura legis imperio, aquam proprijs humeris quotidie conuehebat, quæ à Nilo flumine per duo fere millia petebatur. Iamque emenso anni spacio, labor non cessabat operantis, & de fructu operis spes esse non poterat, tamen obedientia virtus in labore durabat. Sequens quoque annus vanum laborem iam affecti fratris eludit. Tertio demum succedentium temporum labente curriculo, cum neque noctu, neque interdiu aquarius ille cessaret operator, virga floruit. Ego ipsam ex illa virga arbusculam, quæ hodie intra atrium monasterij est, ramis virentibus vidi; quæque quasi in testimonium manens, quantum obedientia meruit, & quantum fides possit, ostendit.

Idem Sulpicius aliud eiusdem obedientia præmiserat exemplum mirabilis, de quo, & de alijs similibus quid sciendum sit, postea dicemus. Sic ergo scribit: Cum quidam, sæculi actibus abdicatis, Monasterium magnæ dispositionis ingressurus, coepisset rogare: Abbas ei cepit multa proponere, graues esse istius disciplinae labores, sua verò dura imperia, quæ nullius facile valeret implere patientia; aliud potius monasterium, vbi facilius legibus viueretur, expeteret: non tentaret aggredi, quod implere non posset. Ille verò nihil his terroribus permoueri, sed magis illi omnem obedientiam polliceri, ut si eum Abbas in ignem ire præciperet, non recufaret intrare: Quam illius professionem vbi magister accepit, non cunctatur probare profitentem. Casu clybanus propè ardebat, qui multo igne succensus, coquendis panibus parabatur; exundabat abruptis flamma fornacibus, & intra camini illius concava totis habenis regnabat incendium. Hoc igitur aduenam illum iubet magister intrare: nec distulit parere præcepto, medias flammæ nihil cunctatus ingreditur, quæ mox tam audaci fide victæ, velut illis quondam Hebræis pueris, cessare venient. Superata natura est, fugit incendium, & qui putabatur arsurus, velut frigidore perfusus, se ipse miratus est. Sed quid mirum si tuum, Christe, tyronem ignis ille non attingit, ut nec Abbatem imperet dura mandasse, nec discipulum penitenter imperio paruise? Qui eo die quo aduenerat, dum tentaretur infirmus, & uentus est perfectus; merito sælix, merito gloriosus, probatus obedientia, glorificatus est passione.

Dorotheus Archimandrita aliam historiam non minus mirabilem, his verbis enarrat, nisi quòd illa prior ignem vicit; hæc verò obedientia merito aquam altissimam superauit. Narrare licet & vobis miraculum, quod meæ ætate contigit, ut intelligatis, tantam esse obedientia & abnegata voluntatis vim, quæ à morte quoque eripere, & liberare possit hominem. Cum essem quandoque apud Abbatem Seridum, ad eum profectus est ab oris Ascalonicis Monachus ab Abbate suo cum mandatis missus; imperatum autem ei à seniore fuerat ut ad vesperam omnino rediret. Interim oborta est immensa tempestas, imber maximus, tonitrua horrenda, videbaturque torrenti similis ea inundatio. Volebat infelix reuerti virgente senioris præcepto, nos verò è contrà hortabamur expectare serenitatem, asserentes periclitari illum maxime in tantis aquarum eruptionibus. Non acquieuit ille nobis vilo pacto, ut maneret. Decreuimus igitur eum adusque flumen subsequi, sperantes ipsum cum illud vidisset, emendaturum consilium, & reuersurum. Eò autem postquam vnà peruenimus, exutus ille vestes, eas cervici collectas imposuit, & accinctus scapulare suum, sese dedit præcipitem in torrentem,

statim

Eod. cap.

Dorothei doctrina.

statimque natate cepit. Formidantibus autem nobis ne mergeretur, subito in litus alterum (mirabile dictu) conspectus est, & resumptis denuo vestibus, a nobis impetrata venia discessit. Nos autem plusquam dici queat obstupimus, mirati virtutis vim, & potentiam. Nobis enim vix sine timore in eum contuentibus, ipse solus intrepidus, absque vlla formidine, & periculo enatauit, fretus obedientiae merito.

Grego. 2.
Dialog. c.
7.

Ad eandem caecam obedientiam referri potest quod Gregorius in vita Beati Benedicti de Mauro eius discipulo narrat in hunc modum. Quadam vero die dum idem venerabilis Benedictus in cella confisteret: praedictus Placidus puer sancti viri monachus ad hauriendam de lacu aquam egressus est; qui vas, quod tenuerat, in aquam incaute submitrens, ipse quoque cadendo sequutus est. Quem mox vnda rapuit, & penè ad vnus sagittae cursum eum a terra introrsus traxit. Vir autem Dei intra cellam positus hoc protinus agnouit, & Maurum festinè vocauit, dicens. Frater Maure curre; quia puer ille, qui ad hauriendam aquam perrexit, in lacum cecidit: iamque eum longius vnda trahit. Res mira, & post Petrum Apostolum inuisita. Benedictio etenim postulata, atque percepta, ad Patris sui imperium concitus pertexit Maurus. Itaque vsque ad eum locum, quò ab vnda deducebatur puer, per terram se ire existimans super aquam cucurrit, eumque per capillos tenens cursu rapido rediit. Qui mox ut terram tetigit, ad se reuersus, post tergum respexit, & quia super aquas cucurrisser agnouit, & quod praesumere non potuisset, ut fieret, miratus extimuit factum. Reuersus itaque ad Patrem rem gestam rerulit. Vir autem venerabilis Benedictus hoc non suis meritis, sed illius obedientiae deputare cepit. Hæc ille.] Iure autem hoc ad obedientiam caecam pertinere diximus: nunquam enim sanctissimus Maurus stagnum ad extrahendum Placidum ingressus esset, nisi impetu quodam obedientiae, & sine discursu, & inquisitione eorum, quae imperabantur, executioni prius assueisset.

Meta-
ph. as. in
vita eius
c. 8.

Manifestè autem fuit eiusdem obedientiae opus, quod de sancta Theodora narrat Simèon Metaphrastes sic scribens: Erat quidem lacus prope monasterium: in eo habitans Crocodillus, in quemcunque incidisset hominem vel bestiam, seu paruam, seu magnam, eam protinus excedebat. Iis itaque, qui in regione habitabant, erat malum adeò terribile, ut ipse praefectus ciuitatis in eo loco statuerit milites ad arcendos eos, qui illac transibant. Cum ergo sciuisset praefectus monasterij, qualis esset vita Theodora, & quòd prope confertim posset cum ipsis Angelis, & quòd non esset expertus diuinae gratiae, eam accessit, & ei dixit: Tolle vnam & propera nobis aquam afferre ex hoc lacu. Illa autem ex Apostolico praecepto sciens esse parendum eis, qui praesunt, impleuit quod iussa fuerat. Et multis iubentibus illam e loco excedere, si non mortem cuperet appetitissimè, illa tamen freta fide in Deum, & peragens opus obedientiae, quae nouit vitam conciliare, non mortem; cum effugisset omnes, qui arcebant, accedit ad lacum, & (ò admirabilia opera tua Domine!) conspecta fuit vehi a bellua, & cum aquam hauisset, & impleisset vas, quod erat in manibus, vecta rursus ab illa bellua terra reducitur, & sic illa quidem in terra conseruatur illaesa; bellua autem, cum Sancta ipsam increpasset, luit penas eorum, quae ad hoc vsque tempus amiserat, & in eo loco statim cernitur mortua.

Rom. 13.

In vita
c. 18.

Sanctus Damascenus, vir in saeculo nobilissimus, & sapientissimus, non parum in hac obedientia caeca

A profecit, de quo hæc in eius vita scribit Ioannes Hierosolymitanus. Non oblectabatur ille in iis, quae ipsi imperabantur. In lingua murmur non erat, nec vlla in corde disceptatio, internè ea explorans, quae magister praescriberet. Verum hoc vnum in media mente, non secus atque in tabulis penitus exculptum & incisum habebat, nempe ut in omni negotio & dicto, sine murmuratione, velut Paulus praecipit, ac disceptatione, quod imperatum esset, faceret. Nam alioqui quidnam ad eum, qui boni aliquid, quodcunque tandem id fuerit, efficit, vtilitatis redite queat, si vel in ipsius labiis murmur insideat, vel improba cogitatio serpentis instar in pectore deliteat? Deinde ut senex pugilem suum maioribus obedientiae certaminibus assuefaceret, quid comminiscitur? Per multis sportis, quas pro opere habebant, in vnum collectis, hoc praetextu vitur, Ioannem sic alloquens: Audiui filii sportas Damasci carius quam in Palestina partibus vendi. Multis porro, ut nosti, rebus indigemus. His itaque acceptis, illic quam celerrimè poteris proficisci, neque vel obolo quidem minoris eas vende, quam tibi impero. Pretium porro duplo, quam par erat, ipsi constituerebatur maius. Huic imperio minime aduersatus est, nec imperantis sermonem sibi discedendum, & explorandum putauit ille ad mortem vsque obediens; verum obedientia tanquam alis quibusdam instructus, huiusmodi falcem in humeros tollit, atque Damascum petit. Qua in vrbe, qui prius insignis, & clarus erat, laceris vestibus indutus, ac squalens, ac sordidus forum peragrabat, ut sportas suas venderet. Cum igitur nimium eas aestimaret, risum sui excitabat, omniumque probis & contumeliis exagitabatur. Vnus autem ex iis, qui ipsi, cum in vrbe clarus & ornatus esset, ministrabat, ante ipsum stans, ipsiusque faciem in animum iniiciens, quidnam esset, qui tum ita humilis & abiectus ac pannosus esset, agnouit: pectoreque grauissimo dolore fracto, ad eum tanquam ignotum accedit, sportaque emit, persoluto omni eo pretio, quod ab illo postulatum erat. Quo quidem accepto, generosus ille vir ad eum, a quo missus fuerat, se refert, ac victoris cuiusdam instar humi prostrato aduersario, id est, inanis gloriae ac superbiae parente, reuertitur.

1. Tim. 2.

D Ionas Monachus in vita sancti Columbani obedientiam sine discussione quorundam monachorum Luxouensium subita sospitate eorum fuisse a Domino cumulatam narrat in hunc modum. Cognouit Columbanus per reuelationem fratres, qui Luxouij erant, diuersis morborum generibus vexari, nec plures superesse incolumes, quam qui aegrotis ministrarent. Egressus itaque de specu, Luxouiu venit, cumque omnes afflictos cerneret, iuber omnes surgere, & messim in area virgis cadere. Surrexerunt ergo, quorum conscientiam obedientiae feruor incendebat, ad areamque venientes, virgis fruges cadere ardenti fide aggressi sunt. Videns autem pater fidem in his, & obedientiae gratia abundare: Simèon, inquit, fella agitudine mebra a labore recreari. Mirantur obediētes fratres, nullo doloris vestigio remanente, integra se sospitate frui. Iuber pater apparatus mensas, ut vberi gaudio omnes reficerentur. Inerepat deinde inobediētes, arguit fidei ignauiam, aggritudinis longam moram denuntiat. Mira vltio. Supra anni tempus immortigeros morbi dolor tam vehementer attriuit, ut vix mortem euaderent; impleueruntque poenitentiae mensuram, pro admissa inobediētia ratione.] Facile profecto possent aegroti sanctum Abbatem nimiae seueritatis, immo & crudelitatis iudicare, quòd eos ad fruges cadendas euocaret; quia

In vita
eius. c. 12.

tamen

tamen simpliciter obedierunt, curati sunt, Domino per hoc miraculum confirmante, quam ipse in obedientia cæca & simplici sibi complaceat.

*Surius in
Iannu-
rio.*

Eandem obedientiam quidam sanctus Abbas, cuius mentionem faciebat sancta Melana, à quodam, quem in discipulum admittebat, exegit: Accessit aliquando quidam (dicebat illa) ad magnum quendam fenem, eius studens fieri discipulus. Is autem ab initio ostendens, qualem oportet esse discipulum, iussit, eum statuat, quæ propè stabat, quantum posset, verberare, & ei insultare calcibus. Postquam verò paruit adolescens, interrogavit fenem, an quæ pulsabatur, & calcibus impetebatur statua, contradixerit aut agrè tulerit. Cum is autem dixisset nihil factum eiusmodi, iussit eum rursus percutere, & præter plagas eam etiam incessere maledictis. Postquam verò ter fecit eadem, statua autem erat solum inanima, & muta, tunc fenex: Si quidem, inquit, tu quoque potes eadem hanc statua perpetuò probris affecta & contumelias, accede, & nostra disciplina fructuere: sin minus, ne te ad nostram conferas disciplinam.

*Libr. 9.
vita. cap.
4.*

Beatus Pater noster I G N A T I V S, vt ipse antiquorum patrum imitator diligentissimus, eorum exempla claudat, hanc obedientiam cæcam sibi carissimam esse, non semel in suis scriptis exposuit. Et præter documenta admiranda quæ nobis signata reliquit, hæc Petrus Ribadeneira discipulus eius dilectus scribit: Cum verò Præpositus esset generalis, aliquoties dixit, si summus Pontifex imperaret, vt ostio Tiberino scapham vel nauigium quodcumque primum inuenisset, clauo, malo, velis, remis, cæterisque armamentis spoliatum conscenderet, & ita absque vilo comæatu, mare traiceret, se id non solum æquo sed etiam libenti animo facturum. Cum autem quidam summus vir hunc illius animum admirans, Ignatio diceret, quæ isthæc esset prudentia? Respondit Ignatius: Prudentia, domine, non tam est parentis, quam imperantis. Hanc igitur obedientiam cæcam, quam ipse sibi in sponsam elegit, à nobis exegit, hanc in suis filiis vigere concupuit. Non quia prælatos nostros ab errore semper immunes putemus, aut eis aliquam infallibilitatem tribuamus: quis enim hoc nisi stultus cogitabit? Non vt eis, si quid aduersum legi Dei iubeant, absque discretionem pareamus, quoniam hoc non esset obedientiæ virtutem addiscere, sed propter traditiones hominum legem diuinam posthabere. Non vt ignorantiam eorum, quæ scire oportet, salutarem esse credamus, sed vt iuxta consilium Pauli ad sobrietatem sapiamus. Ad quid ergo voluit in nobis obedientiam cæcam? Ad hoc sane: vt qui statum subditorum habemus, corde, & mente subiecti simus, & viam humilitatis se ex animo subiicientis sectemur, vt ab inepta discussione supersedentes in pace & tranquillitate viuamus. Et tandem, vt qui perfectionem insequi volumus, perfectam obedientiam, quæ iudicium prælato subicit, & sine qua perfectio virtutum omnium haberi non potest, à largitate Domini consequamur. Si quid autem in his exemplis factum narratur, quod ad tentationem Dei pertinere videatur, sciamus id non sine speciali instinctu Dei à viris obedientibus fuisse præsumptum. Sine quo instinctu, absque temeritate, & peccato certum est fieri non potuisse. Deo autem specialiter mouente, & inspirante, aliquid huiusmodi effectum est, non vt nos sine tali motione diuina hoc genus facinorum imitemur, sed vt vim perfectæ obedientiæ, quam Deus miraculis confirmat, ad-

A miremur, & vt eam obtinere vir quisque perfectus nitatur.

De lenitate Obedientiæ.

CAPVT XIII.



VIRTUS obedientiæ tam rigida ac seuera dominatrix religiosorum, vt nequam eorum, quæ imperantur, executione contenta voluntatem ab eis auferat, & quasi intellectum obuclat, & ab eo omnem discussionem auertat, simul suavissima est, atque lenissima, quæ nihil insolens à nobis petat, nihil nostræ naturæ contrarium exposcat. Non est semper in potestate nostra intellectum compescere, & rationes in oppositum eius quod iubemur non audire. Aliquando enim tam manifesta incommoda ex opere iniuncto sequuntur, quæ subditus videt, & prælati omnino non aduertit, vt stultum esset ea non patefacere. Tunc ergo perfectio obedientiæ non exigit, vt taceamus, & nos insipientes, prælatum verò omnia scientem putemus, & vt sine vlla mora parcamus, sed vt incommoda illa, aut impossibilitatem, quæ se se offert, debita cum modestia manifestemus. Id perfectæ obedientiæ non aduersari, apertè sanctus Benedictus in sua regula concedit. Quod si frater, inquit, omnino virtutum suarum mensuram viderit pondus excedere, impossibilitatis suæ causas, ei, qui sibi præest, patienter & opportunè suggerat, non superbiendo, aut resistendo, vel contradicendo. Idem ferè eisdem verbis Bonaventura perfectioni consonum esse asserit. Quin & Pater noster Ignatius obedientiæ intellectus (si ita loqui licet) satis se verus exactor à nobis fieri permisit illis aureæ epistolæ verbis. Nec tamen idcirco vetamini, si quid fortè vobis occurrat, à superioris sententia diuersum, idque vobis (consulto suppliciter Domino) exponendum videatur, quominus id ad superiorem referre possitis. Hæc autem scripsit postquam media ad obedientiam intellectus consequendam præscriperat, & obedientiæ cæcæ meminerat, vt hanc modestam obiectionem eorum, quæ in oppositum offeruntur, perfectæ obedientiæ nullo pacto contrariam esse decernerat. Quid enim si prælati iussit vt hac eadem hora domo egredere, vt pium negotium perficerem, & postea mandati prioris oblitus iniungat, vt aliquid domi faciam, nonne debeo illum iniuncti antea negotij monere, vt ipse videat, quandoquidem vtrumque simul præstare non possum, vtram rem velit nunc à me fieri, & aliam in futurum tempus protelari? Quid si iter longum, aut opus laboris plenum iniungat, & nuper sui acri febre correptus, quam ille ignorat, an iustum erit audere, & post tantillum temporis vitibus deficientibus à cæpro desistere? In his ergo euentis, & aliis similibus, laudabile est rationes maiori proponere, vt his auditis, liberum illi sit, aut nouo sermone nos vigere, vel certè ab onere imposto liberare.

Ad Deum quidem cuncta scientem solet humana imbecillitas incommoda sibi ex opere iniuncto prouenientia referre, & id sine vlla sapientissima maiestatis iniuria, vt nobis persuadeamus, oportere sæpe homini nobis præposito, quæ repugnant executioni obedientiæ, declarare. Præcepit Ezechiel Dominus, vt panem suum, quem manducaturus

erat,

Ezech. 4.
14.

num. 15.

Hierony.
in Ezech.
ad 6. 4.

Ahor. 10
13. 14.

erat, stercore hominis operiret, ut Iudæorum calamitatem portederet. At ille, *Asa, Domine Deus, Ecce anima mea non est polluta, & morticinum, & laceratum à bestis non comedi ab infantia mea usque nunc, & non est ingressa in os meum omnis caro immunda.* Non exacerbatus est Dominus Prophetæ verbis, sed mandatum suum lenire voluit. *Ecce, ait, dedi tibi sinum bouum; pro stercorebus humanis, & facies panem tuum in eo.* Ne putemus, inquit Hieronymus, Prophetam contradicere imperio Domini, sed causas reddere, immo deprecari, cur hoc facere non possit. Denique impetrat quod rogauit, & sententia austeritas mitiori imperio temperata est. Similem Petrus Apostolus obedientiæ difficultatem est passus. Cum enim illi oblatum esset, quasi lineum magnum de cælo submissum animalium immundorum plenum, dictumque ei esset, surge, Petre: occide & manduca. Ipse mandati difficultatem exposuit dicens: *Abit Domine, quia numquam manducaui omne commune, & immundum.* Nec solum semel esum rei immundæ repulit, verum & secundò & tertio se excusauit. Nam sequitur: *Hoc factum est per te: & statim receptum est vas in cælum.* Quo ostenditur, perfectioni obedientiæ non obstare, (si seruatis his, quæ statim dicturi sumus) his, & ter mandati incommoda proponamus. Hoc igitur obedientia non vetat, quia hominem ignorationi subiectum, loco Dei, superiorum habemus, qui nec potest cuncta scire, nec omnia incommoda, quæ sequuntur ex mandatis, aduertere. Vnde iuxta suam voluntatem est, si quid inconuenientis ex mandato possit accidere, ut ei magna fiducia pandamus. Obedientiæ autem nullam iniuriam irrogat, & nec in minimo eius auctoritatem attenuat, qui se ad prælati voluntatem accommodat. Et quidem præpostere de se ipso, aut de prælato sentit, qui putat, semper in omnibus obediendum, nihilque esse omnino ante executionem declarandum. Aut enim cogitat, prælatum numquam in his quæ præcipit, errare posse, quod manifesta dementia est: Aut existimat, se tali modo pariturum, ut errorem superioris emendet, & omnia incommoda sua dexteritate superet, quod magna superbia est. Ac proinde, ne nobis, aut prælatis nostris plus æquo tribuamus, necesse est interdum ante executionem mandati, aliquid quod nobis se in contrarium obtulit, modestè ad prælatum adducere, & post cognitam eius mentem, quod voluerit, actione præstare.

Hæc autem generalis & vera doctrina quasi quibusdam vestibulis ornanda est, ne aliquid sinceritati obedientiæ detrimentum importet. Primum enim non decet, in singulis, quæ iniunguntur, hærescere, & subinde difficultates obediendi prætere, & ea quæ nobis non placent, variis incommodorum prætextibus refutare. Cui consuetudini, si aditum aperiamus, non veri obediens, & propriæ voluntatis hostes, sed eius amici familiarissimi erimus, & omnis religiosa disciplinæ contempiores. Persuadeamus itaque nobis multa difficilia, & ardua, & sensuualitati repugnantia, à maioribus esse iniungenda, quæ debemus tota mentis alacritate facienda suscipere, si nolimus ab obedientiæ lege exorbitare. Nec satis esse ad proponendum, si in his, quæ nobis præcipiuntur, difficultatem sentiamus. Ob idque aliqua narrat Scriptura admodum difficilia, & prima specie satis indigna Prophetis fuisse mandata, quibus illi statim sine vlla contradictione paruerunt: ut indicetur religiosis, in rebus quoque arduis, & duris, debere se liben-

ter prælatis subicere. *Isaias vir erat apertissime nobilis, ac de femine regio: quadam autem die dictum est illi à Domino; [Vade & solue saccum de lumbis tuis, & calceamenta tolle de pedibus tuis:]* ut scilicet tunicam saccam, qua induebatur, deponeret, & more vilissimorum hominum coram frequentissimo populo pedibus nudis incederet. Audito hoc præcepto, quid facit ille? An statim hesit, an rem illam sibi nobilissimo indignam putauit, an excusationibus se protexit? Non certe; sed fecit sic, vadens nudus, & discalceatus. O impigræ, & simplicem obedientiam! difficultatem præcepti animaduertis, sed difficultatem calcavit, & suum sensum abnegauit, ut Deo aliquid hac nuditate portendentis obediens existeret. Ezechiel quoque, qui immunditiæ panis exhorruit, præcepti alterius sibi impositi difficultatem non extimuit, sed alacriter obediuit. Imperatum namque est illi, ut vincus catenis dormiret super latus sinistrum trecentos & nonaginta dies, & ut ab vno latere in aliud non moueretur.

Ille autem fecit quemadmodum iussus erat, in reque difficillima obedientiam præstitit. Huius autem Prophetæ subiectio non in hoc tantum, sed in multis aliis laboriosis, & arduis probata est; de quo hæc scribit Chrysostomus. Fama itaque ac siti pro alienis cruciatur malis, vxoræque defunctæ eum castam absque lacrymis perferre iubeatur. Porro quid grauius dici possit, quam in suis aduersis casibus non flere quidem permitti: Omitto enim modò quòd super stercore bubalorum panem suum comedere coactus sit, & quòd super vno latere trecentum nonaginta diebus iacere, aliaque eiusmodi tolerare sit iussus. Hæc ille. Quid verò de Osea castissimo, & sanctissimo Propheta dicam, cui imperatum est: *Vade, sume tibi vxorem fornicationum;* id est, impuram meretricem fornicationibus deditam. At ille tacès, & omnino nihil opponens, abiit, & accepit Gomer filiam Debelaim. Nec solum coniugium iniuit, sed & consummauit, ex eaque filium ac filiam suscepit. Hæc & alia huiusmodi sunt in scripturis obedientiæ difficilius exempla, in quibus Deus horribilia imperauit, & homo absque vlla contradictione obediuit, ut compertum sit nobis solam rei difficultatem aut vilitatem rei mandata non esse sufficientem causam, ut statim rationes in contrarium, & inconuenientia queramus, nosque ab obediendo exoneremus. Immo in hoc alacritas & fortitudo obedientiæ se ipsum ostendat, ut carni repugnantia, & per se ardua & maxime laboriosa, si fuerint iniuncta, suscipiat.

At sæpe in rebus, quæ imperantur, multa conspiciamus bonæ gubernationi contraria, & non ex difficultate, aut repugnantia nostra, sed ex mera & efficaci ratione, quæ in contrarium obicitur, quam nec possumus, nec debemus ab intellectu depellere, res iniuncta minime executioni mandanda iudicatur. Quid tunc faciendum? Tunc priusquam ad prælatum rationes tuas referas in oppositum eius quod tibi demandatur, ad Deum recurras necesse est: ab eoque enixè lucem efflagitabis, ut scias eius voluntatem agnoscere, & an expediri sit tacere, & ad obediendum conari, an verò ad prælatum, quæ obiciuntur, in contrarium referre. Coram Domino incommoda, quæ ex illa obedientia emergunt, considerabis, momenta rationum expendes, quid te ad proponendum impellat, attentè discuties. Sæpe in conspectu huius solis iustitiæ manifestè deprehendes te non aliqua virginti & honesta ratione ad loquendum incitati, sed amore proprio, aut affectu inordinato, aut certe repugnantia sensuualitatis moueri: sed si præmissa oratione & in cons-

Isaia. 20.
2.

Ezech. 4.
5. 6.

Chrysost.
3. de Pro
uidentia.

Osea. 1. 2.



pectu Domini iudicaueris, te non ex affectu inordinato, sed ex veris incommodis, quæ ex illo opere sequuntur, ad opponendum impelli, tunc securè poteris, & sine periculo imperfectionis ad superiorem debita cum modestia tuas difficultates referre. Id enim ex vitis obedientibus discimus, quos Scriptura sacra virtutum esse exempla commemorat. Quis Abraham obedientior? quis Deo in difficultibus quibusque subiectior? At hic aliquando diuinis decretis suam sententiam oppositurus, ab oratione sermonem incepit, & quasi facultatem loquendi postulans, dixit: Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis, & cinis. Quid si minùs quinquaginta iustis, quinque fuerint in ciuitate, & cætera. Ieremias quoque & ipse obedientissimus, aliam sic est quæstionem exorsus: Iustus quidem tu es, Domine, si dispertem tecum: veruntamen (pace tua) iusta loquar ad te. Exponam, inquam, quæ mihi offeruntur ad oppositum eius quod sit: [Quare via impiorum prosperatur,] & quæ sequuntur. Sic & nos cum aliquid prælatorum mandatis voluerimus opponere: quæ absque dubio si bonum contineant, quasi mandata sunt Dei, debemus ad ipsum oratione recurrere, & quasi ad opponendum aliquid prælato, veniam postulare. Quam si Dominus (sua inspiratione, & conscientia: nostræ attestazione concesserit, tunc confidenter poterimus ad superiorem accedere, & nostras ei difficultates aperire.

Incommoda quæ ex opere iniuncto sequuntur, prælato patefacienda sunt, non media aut rationes ea incommoda superandi, nisi ipse rogauerit, aut id sibi esse gratum ostenderit. Documentum hoc subiuncto exemplo intelligemus. Iniunxit multis retro diebus cuidam religioso concionatori superior, vt in die festo sanctorum Apostolorum Petri & Pauli apud quandam Ecclesiam cathedralem concionaretur, in qua ob magnam populi multitudinem, & nobilium ac virorum litteratorum frequentiam, gratù esse solet concionatoribus sermonem habere. Die autem ante vigiliam eiusdem festi, idem superior mandati prioris oblitus iniungit eidem concionatori, vt in eodem die sanctis Apostolis sacro apud moniales quasdam, extra urbem, vbi nullus erit auditorum concursus, concionem habeat. Duobus modis potest religiosus incompossibilitatem horum madorum ad superiorem referre. Vel sic: Necessè erit vt Reuerentia vestra hanc concionem monialium alteri demandet, quoniam ego in Ecclesia cathedrali sum concionaturus. Vel sic: Altera concio superioribus diebus tibi demandata fuit, videat R. V. quandoquidem vtramque eodem die & hora facere non possum, vtram earù sim facturus. Ille prior proponendi modus imperfectus est, quia non tantum difficultatem obediendi retulisti, sed vit D.C. (quod tibi concessum erat) verum & modum tibi gratum vincendi difficultatem aperuisti, quo tibi occupationem speciosiore eligis, & in alterum opus humilratis, & abnegationis propriæ iactare præsumis. Hic secundus modus est vsquequaque perfectus, quoniam declarata impossibilitate vtrumque præstandi, in voluntate prælati relinquitur opus, quod nolles, vel tibi vel alteri demandare. Et fortassis ad cœnobium hospes accessit, vel grauior, vel eloquentior, cui melius erit Ecclesiæ Cathedralis iniungere concionem, & te aliò concionaturum mittere. Huncque modum proponendi sorores Lazari docuerunt, sic scribentes ad Dominum: Ecce quem amas, infirmatur. Notauit hic Augustinus vrbantatem nobilium foeminarum. Non dixerunt, inquit, veni: amanti enim

Genes. 18.
27. 28.

Iere. 12.
1.

Iean. 11. 3.
August.
tract. 49.
in Ioan.

A tantummodo nuntiandum fuit. Non ausa sunt dicere: veni, & sana: non ausa sunt dicere: ibi iube, & hinc fiet. Nihil horum ista: sed tantummodo: [Ecce, quem amas, infirmatur.] Sufficit, vt noueris: non enim amas, & deseris.] Ne ergo sis tu erga prælatum inciuilis, & inurbanus, qui velis illum ad tuam voluntatem pertrahere, attractionem gubernandi docere, sed propositis iniunctæ ab eo actionis incommodis, modum occurrendi illis ab illo tu audias, non ipse à te, nisi (vt dixi) verbo aut signo, quid tibi videatur, exquirat. Eandem loquendi vrbantatem Deipara Virgo seruauit: erat enim prudentissima. Vidit nuptias sine conuenienti potu; quid pauperius? conuiuium sine vino; quid tristius? sponfos sine facultate ad subueniendum; quid miserius? Accurrit ad filium opam datorem, lætitiæ largitorem, & miserabilium prouisorum, vt præfenti indigentia subueniret. Sed quibus verbis? his tantum: [vinum non habent.] Sciebat satis esse filio benignissimo, si ei præfens necessitas proponeretur, nec decere verba multiplicare, & subueniendi indigentia nuptiarum, ratione aperire. Sciamus & nos quòd ad eum recurreremus, qui locum Christi gerit in terris, & tanta simplicitate, & fiducia, ei necessitatem nostram, aut incommodum aperiamus, vt ipse modus proponendi syncerus, & rectus, eum non exasperet, sed erga nos amorem conciliet.

Propositis superiori incommodis, quæ ex obedientia sequuntur, aut rationibus, quæ in cõtrarium offeruntur, verus obediens taceat, & nec per se nec per alium superiorem virgere audeat, vt an res executioni mandata sit, aut potius omittenda, breuiter detegat. Sed expectandum est patienter, & omnis curam illum reiicienda, qui opportuno tempore sciet nobis rationem obediendi exponere, aut à cura iniuncti operis liberare. Nec hoc, quod exterius præstat, sufficit, nisi etiã semper æquo animo simus nõ solum ad eam rem de qua agitur, vel suscipiendã vel deponendam, sed etiam vt Beatus Pater noster Ignacius scripsit, ad probandũ rectiusq; putandũ quicquid superiori placuerit. Si verò ab exequutione iniuncti operis absoluaumur, propositum obediendi, & laborandi, si possemus, omnimodis retinere ceteremus. Qui enim hoc sanctũ propositum retinet, licet Domino vacca dulcis obediens, aut boue fortis subiectionis non offerat, at vitulũ Domino gratissimũ immolat. Vitulus sanè, inquit Richardus, ad iugum portandũ nutritur, interim tamen ad ipsum non applicatur. Quòd autem interim non portat, nõ est ex vitio recalcitrationis, sed ex defectu possibilitatis. Si igitur obedientia non proferis, nõ quia non vis, sed quia non possis: vitulum voues, & soluis. Quid enim intelligamus per vitulum, nisi obediendi propositũ, quæ admodũ in boue & vacca obedientia exercitũ? Si igitur vaccam, vel bouem offerre non potes, offer vel vitulum, quem cum integre volueris, ad manum habere potes. Certè si nõn potes habere obedientia officium vel vsum, potes habere obedientia propositum, potes habere obedientia desiderium: & cum volueris, offerre potes eiusmodi vitulum. Sic ille pie admodum omnia ad mythicos scripturæ sensus refert. Nos verò sic gradus sanctæ obediens concludimus, vt eum qui his, quæ dicta sunt, seruatis, ab aliquo opere per superiorem imposito, se subduxerit, nullo modo aliquid contra obedientiam patrare putemus. Est enim obedientia virtus prudentissima, quæ non vult cervicibus nostris aliquid importabile iugum imponere, sed per penus viribus nobis è cœlo donatis ad sanctos labores suscipiendos incitare.

Epist. n.
19.

Richard.
de diffi-
rent. sacri-
ficii Da-
uid &
Abrahe.

De

De Premio Obedientia, & primo de multiplici eius victoria.

CAPUT XIV.



Huius rei gratia à seculo per vitam spiritualem defecimus, ut de nostris hostibus triumphemus, & de mundo, & demone, carne, ac de nobismetipsis gloriosam victoriam consequamur. Bellum enim non nisi propter pacem bonum est, non enim pax queritur, quemadmodum Augustinus ait, ut bellum excitetur, sed bellum geritur ut pax acquiratur. Nemo verò ad pacis possessionem veniet, nisi prius victoriam de hoste reportet. Nam quamdiu non vincit, aut pugnat, aut victus ab inimico prostermitur, qui autem adhuc pugnat, certè pacis hilarem faciem non vidit, & qui victus cadit, multò miserius à pace discedit: cum cogatur hosti seruire, cui non vult voluntate fœderari. Spiritualem autem vitam bellum esse nemo illorum, qui illam sectantur, ignorat, cum quotidie aduersus se hostes insurgere animaduertat. Quare Paulus de se, & sui similibus, vitam hanc sectantibus, dicit: In carne ambulantes, non secundum carnem militamus. Nam arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo. Hi quidem in carne ambulant, id est, in corpore corruptibili degunt: at non militant secundum carnem, sed secundum spiritum, ut pacem, quod in ipsis est, cum omnibus hominibus habentes, bellum aduersus hostes inuisibiles gerant, qui spiritus eorum proculcare perentant. Ad hoc autem bellum non sibi parant enses, & lanceas, & huiusmodi arma, quæ carnalia dicuntur, quoniam carnem vulnerant; sed veras virtutes, & validissima præsidia gratiæ, quæ secundum Deum potentissima sunt, ut spiritum tueantur, & hostes eius conterant, atque subuertant. Si autem spiritualis vita certamen est, & militia, pacem vtique ut scopum respicit, atque ad eam ad victoriam, tanquam ad id sine quo pax obtineri non potest, tora sui intentione contendit. Nihil ergo huic vitæ nostræ vilius, nihil pretiosius victoria, qua de hostibus obteuta, pacem assequimur, tranquillitatemque in hac vita inchoatam, & in futura perfectam possidemus.

Victoriam autem de hostibus suis quis assequitur? Certè non alius quam verus obediens, nam omnes victoriæ non sunt, aliud quam quædam obedientiæ præmia à iusto iudice Deo obedientium laboribus asseruata. Quomodo enim iustus vincit, quomodo suos hostes elidit? Nonne, aut peccata & vitia fugiendo, aut virtutibus insistendo, atque vno nomine Dei iussa ac præcepta seruando? Sed hæc partus sunt obedientiæ, & sanctæ subiectionis germina, ac pacis, ad quam tendimus, ac quietis initia. Quamobrem Salomon ait: Testis mendax peribit, vir obediens loquetur victoriam. Nomine testis pendacis, presbyter Beda inobedientem intelligit. Qui se, inquit, Deo seruire testatur, nec factis dicta exequitur, peribit. Quis est autem hic, nisi qui verbis, aut habitu se Deo obedientem exhibet, sed vita, & conuersatione non obedit? Huic perditio parata est, quia ex eo quod obediendo victoriam de hostibus non assequitur, consequens est, ut victus ab illis ab æterna salute repella-

A tur. At vir obediens, qui scilicet viriliter & perseueranter obedit, perpetuò loquetur victoriam, quotidie nouas de suis hostibus victorias obtinebit, quas possit iustus se audientibus enarrare. Cantabitque ille vtique cum sancto Dauide: Venite, audite, & nariabo, omnes qui timetis Deum, quanta fecit anima mea. Meritò verò victorias obedientiæ non sibi, licet ipse eas assequatur, sed Deo attribuit, quoniam non propriis viribus, sed virtute Dei eas de hostibus acerrimis reportauit. Deo autem gratias, inquit Paulus, qui dedit nobis victoriam per dominum nostrum Iesum Christum. Ipse dat obedienti victoriam, quoniam nisi virtutem & gratiam ad obediendum daret, homo non obediens, & si non obediens, hostem non vinceret, nec de vitis ac demonibus triumpharet. Ac ideo hæc gloriosa victoria Dei est, & hominis: Dei auxilium tribuentis, & in homine pugnante vincientis, & hominis virtute Dei præcepta complentis, & per obedientiam præceptorum suos aduersarios superantis. Nec quia dicitur, Vir obediens loquetur victoriam, putandum est, cum aut fallaciter dicere, quæ non fecit, aut arroganter se de victoria iactare. Neutrum quippe in obedientem quadrat, qui cum verax & humilis sit, nec potest quæ obediens, victoriam sibi adscribere, quam non acquisiuit, nec superbè sibi assumere, quam Deo suppeditas ferente de inimicis obtinuit. Loquitur ergo victoriam, quam de hostibus tulit, quia verax est; & eam se à Deo accepisse verbis fatetur, quia humilis est.

C Sed quænam est hæc victoria, quam vir obediens assequitur? Certè multiplex est eius victoria; nam cum non vnum tantum, sed multos hostes habeat; cum non vnum solum certamen, sed plurima cum eis ineat, multiplicem etiam de illis victoriam reportat. Prius tamen quænam sint iustorum certamina disquiramus, & inde quomodo obedientia multorum hostium victor existat, apertè cognoscemus. Ambrosius quidem ea omnia ad duo tantum retulit. Quodam enim loco sic ait: Non superfluo David diuinum quaesuit auxilium, qui sciebat sibi aduersus fortes esse certamen, pluraque sibi prælia preparata dimicaturum, nunc aduersus nequitiæ spirituales, quæ sunt in cælestibus, nunc aduersus calorem sanguinis, & innumeras corporis huius illecebras, quarum nexu vario, & diuturna colluctatione lassatus, pudendo corruisset certamine, nisi fidei se radice tenuisset. At nos apertioris tractationis gratia quatuor hominis hostes assignamus. Hostis eius est diabolus: nam aduersarius vester diabolus [tamquam leo rugiens,] inquit Petrus Apostolus, [circuit quærens quem deuoret.] Hostis eius est mundus: vnde Ioannes ait: Nolite mirari, si odit vos mundus. Ac si diceret, cum inimicus vester sit, ô fratres, quid mirum si vos odio habeat? Hostis eius est caro: quare Michæas ait: Ab ea quæ dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui. Hostis tandem est vnusquisque sibi ipsi, vt enim Chryostomus luculentissimè cõfirmauit: Nemo læditur nisi à se ipso, quia nullus hostis quamtumuis importunus, potest illi malum culpæ inferre, nisi ipse velit culpæ macula deformari. Et Iob ait: Factus sum mihi metipso grauis, quod si homo sibi ipsi grauis est, hoc est, molestus, & onerosus, sibi metipso quasi hostis & inimicus existit. Nemo enim molestum sibi existimat, quem, quoniam gratum experitur, amat.

E Jam istos hostes sola obedientia prostermit, sola ipsa præclarissimas de illis victorias acquirit. Obedientia diabolum vincimus, eique nos esse superiores ostendimus. Idque sonat illa verba Gregorij: Victimæ

Psal. 65. 16.

1. Corint. 15. 57.

Ambros. ad Psal. 118. ser. 11. ult. v.

1. Petri 5. 8. 1. Ioan. 3. 13.

Michæa 2. 5.

Iob. 7. 20.

August. epist. 205 ad Bonifacium.

2. Corint. 10. 3.

Præter. 21. 28.

Greg. lib. 4. in 1. Reg. c. 5.

sunt obsequia obedientium: quia cum hominibus pro Deo subiicimur, superbos spiritus superamus. Ceteris quidem virtutibus demones impugnamus; per obedientiam vincimus. Victores ergo sunt qui obediunt: quia dum voluntatem suam aliis perfectè subiiciunt, ipsi lapsi per inobedientiam Angelis dominantur. Sic ille.] Vna autem ex præcipuis causis quare per obedientiam diabolum vincimus, ea est, quia eius dolos & rethnas obediendo detegimus. Quoties nos ille sub specie boni ad malum pertrahit? quoties ad indiscretum ferentem, aut ad ridiculum teporem impellit? Iam bona esse fua- det, quæ bona non sunt: iam vir es nobis datas excedere, & maiora, quam par sit, præsumere, aut certe pusillanimes esse, & nihil dignum homine aggredi, nihil arduum moliri suadet. Hos in salus obedientiæ virtus eludit. Nam dum ad patrem spiritualem accurrimus, dum ei cogitationes immixtas detegimus, dum ab eo eruditè simpliciter obediunt; & quid vnumquodque sit an bonum, an malum, clarè cognoscimus, & quousque progrediendum nobis sit, & quid tanquam supra vires fugiendum, quid verò tamquam iuxta vocationem nostram amplectendum, nequaquam ignoramus. Ideo dicebat Antò- nius, vt in vitis Patrum narratur. Si fieri potest, quantos passus ambulat monachus, vel quor calices aquæ bibit in cella sua, declaret senioribus, vt à recto non deuiet. Vna ratio amicitia seruanda, est amici secreta nobis commissa fideliter tegere. Quare Ecclesiasticus ait: Si denudaueris absconsa illius, hoc est, amici tui, non persequeris post eum: id est, non est cur ad eius amicitiam redire contendas, ad quam ille & merito te non admittet. Ergo cum prælatò, aut spiritali patri diaboli tentationes detegimus, & secundum quod nobis iniunctum est, eius dolis resistimus, manifestè eius amicitia detestamur. Ad id- que confirmandum Dorotheus narrat, quendam fratrem à diabolo fuisse dilectum, & ipsius authoris mendacij testimonio ceteris prælatum, qui noluit in rebus suis à maiore gubernari. Statimque subdit. Tales diligit atque his maximè delectatur, qui sine duce sunt, non his qui sese summittunt ei qui post Deum auxilium præstare potens est, & manum dare. Neque enim diabolus ille cunctos ad- eundi fratres potestatem habuit, cum illum sanctus pater reperit, tot potiunculas, tot pigmenta, tot alabastra circumferentem, non omnibus propinquit. Nam quisquis illius præsentit insidias, accurrit illi- co, & cogitationes suas quascumque latentes aper- uit patri, & sic auxilium inuenit in tempore tenta- tionis; & hac de causa non potuit aduersus eos ini- que insidiator. Infelicem illum vnum inuenit, qui seipsum regebat, & instrueret, qui nullum haberet coadiutorem, quemque, vt voluit, ludo habuit, discendensque soli gratias egit, ceteros omnes detestatus. Sic ille.] Manifestum est itaque, obedi- entiam, qua spiritalis vir seniori subiicitur, diabolum vincere, eius dolos eludere, & arma confingere. Quare Bernardus iure optimo fratres suos monet, vt hoc obedientia telo aduersus hostem humani generis diabolum dimicare non desinant. Obse- cro, inquit, vos, nouella plantationes Dei, vos qui nondum exercitatos habetis sensus ad discretionem boni & mali; nolite sequi cordis vestri iudicium, nolite abundare in sensu vestro: ne vos tam- quam syluestribus illis, & omnino bestialibus be- stiis (seculares homines loquor) apertos satis ex- pandit laqueos, vrpote, quos facillè capiendos esse non dubitat. Vobis autem, qui tanquam pruden-

2. par. 5. 166.

Ecc. 27. 19.

Dorothei. doct. 5.

Bernard. ser. 3. in Psal. Qui habit. at.

tiore cerui, serpentes ne catis, & desideratis ad fon- tem viuum, subtiliores occultat laqueos, & calli- dora fraudis sue argumenta conquirunt. Vnde ob- secro vos, humiliamini sub potenti manu Dei pa- toris vestri, & acquiescite eorum consiliis, qui me- lius norunt venatoris illius versutias, edocti diutur- no longi temporis exercitio, & crebris experi- mentis, tam in se quam in multis.] Hanc glo- riosam reportant de diabolo primo hoste victo- riam, qui sub obedientia iugo positi nouerunt se non proprio sensu, sed maiorum consilio gubernari. Obedientia victoriam etiam de mundo conse- quuntur. Nam qui principem alicuius regni vic- cit, ipsum quoque regnum sibi subiicit. Sed qua- rendum est ab Scripturis sanctis, quis sæculi huius princeps esse dicatur. Non dubium est, quin nomen hoc principis mundi diabolo sit attributum. Verba quippe sunt Domini: Venit princeps mundi hu- itis, & in me non habet quicquam.] Et nunc prin- ceptus huius mundi eicietur foras.] Et Paulus ait, [nos colluctationem habere aduersus principes, & potestates, & aduersus mundi rectores tenebrarum harum.] Si ergo obedientia diabolum principem mundi vincit, quid magnum, si mundum etiam vin- cat, atque prosternat? Vincit profecto illa sæcul- lum, cuius præcipuum desiderium suis sectatoribus inmissum est omnibus dominari, obedientia verò penitus hoc desiderium reicit, quoniam mag- nam perfectionem reputat omnibus se subiice- re. Vox Domini est: In mundo pressuram habe- bitis, sed confidite. Ego vici mundum.] At dicno- bis, Domine, quomodo viciisti mundum, vt nos eum eadem ratione valeamus superare? Annona vici- cisti per obedientiam, qua vsque ad mortem crucis paruisti æterno Patri, & omnia eius, super redem- ptione mundi, mandata complesti? Si ergo, vt ait Chrysostomus, licet & nobis vincere mundum, si voluerimus fidei nostræ authorem sequi, & ead- em via incedere, quam ipse nobis strauit, certè via obedientia nobis terenda est, vt ad optatam huius sæculi victoriam veniamus. Nihil enim est aliud mundum vincere, quam pessimorum ho- minum voluntati, conuersatione nostra contradi- cere, & Dei voluntatem amplecti; hoc autem ille solus facit, qui fideliter eius mandatis obedit. Ioannes quidem mundi victoriam fidei ascribit, sed si bene intelligatur, quatenus se obedientia con- iungit. Omnis, inquit, qui natus est ex Deo, vin- cit mundum, & hæc est victoria, quæ vincit mun- dum, fides nostra.] Nascitur ex Deo, qui baptismo illinitur, & quod sacramento illo proficitur, vita & conuersatione complectitur. Quis est autem hic, nisi qui per obedientiam Dei præcepta custodit? Ergo obedientia est, quæ in filiis adoptiuis Dei mun- dum, & eius adiutores prostrauit. Et quæ fides est mundi victoria? Nonne illa, quæ charitate for- mata Dei sermones obseruat? Sed hanc sicut nemo à charitate diuellet, ita neque ab obedientia separabit. Obedientia igitur, qua Dei manda- tis subiicimur, nos victores mundi constituit. Quod & ipse Ioannes statim clariùs aperuit. Quis est, inquit, qui vincit mundum, nisi qui credit quoniam Iesus est filius Dei? Quis autem est iste credens vt oportet, nisi qui per gra- tiam, & obedientiam mandatorum Christum habitorem habet? Vnde Bernardus ait: Ve- runtamen potest fortè mouere, quòd tam mul- tos videmus credentes Iesum filium Dei esse, ad- huc tamen mundi nihilominus cupiditatibus ir- retitos. Quid ergo ait: Quis est qui vincit

Iuan. 14. 30. Iuan. 12. 31. Ephes. 6. 12.

Iuan. 16. 33.

Chrysost. hom. 78. in Iuan.

I. Iuan. 5. 4.

I. Iuan. 5. 1.

Bern. ser. 1. in Iuan. 1. sc. ha.

mundum,

mundum, nisi qui credit quia Iesus est filius Dei] cum & ipse iam mundus id credat? Annon ipsi quoque demones & credunt, & contemiscunt? Sed dico: putatne filium Dei reputat IESUS V. M. quisquis ille est homo, qui ipsius nec terretur comminationibus, nec attrahitur promissionibus, nec preceptis obtemperat, nec consiliis acquiescit? Nonne is etiam si fateatur se nosse Deum, factis tamen negat? Porro fides sine operibus mortua est in semetipsa. Nec sane mirum videri potest si nequaquam vincit, quae nec vivit quidem. Quaeis quamnam sit viuida, & victoriosa fides: illa sine dubio, per quam Christus habitat in cordibus nostris. Christus enim & virtus est & vita nostra. [Cum Christus apparuerit vita vestra (ait Apostolus) tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.] Vnde gloria nisi de victoria? Aut quare cum ipso apparebitis, nisi quia in ipso & vincimus? Denique si his tantum data est potestas filios Dei fieri, qui suscipiunt Christum, de his quoque solis intelligendum est quod dicitur: Omnis qui natus est ex Deo, vincit mundum. Hac ille.] Notum est itaque ex his, solum virum obedientem de mundo victoriam consequi, & saecularibus cupiditatibus dominari. Hancque illustrem victoriam non solum per obedientiam obtineri, verum & per obedientiam prouehi. Nam quo quis perfectius suam voluntatem abnegat, & non tantum in maioribus, sed in minoribus obedientiam diligit, eo perfectius mundum prostermit. Tertium quoque hostem nostrum obedientia calcet, nempe carnem singulis horis nobis insidiantem. Sciteque dixit Thomas à Campis author pietate clarissimus: Qui non libenter, & sponte suo superiori se subiiciunt, signum est quod caro eorum nec dum perfecte illis obediat, sed saepe recalcitat, & murmurat. Quasi diceret, carni suae ille se subdit, qui praetato obtemperare non nititur, & dum ille se sponte submitit, mirum modo ab imperio carnis liberatur. Sic etiam Bernardus secundum illam beatitudinem intellexit. Bona mites, quoniam ipsi possidebant terram. Hanc ego terram, inquit, corpus nostrum intelligo. Quod si possidere vult anima, si regnare desiderat super membra sua, necesse est ut sit ipsa mitis, & superiori suo subiecta, quoniam tale inueniet inferius suum, qualem se exhibuerit superiori. armatur enim creatura ad vlciscendam sui iniuriam creatoris. Et ideo nouerit anima, quae rebellem sibi inuenit carnem suam, se quoque minus quam oporteat superioribus potestatibus esse subiectam. Manifestat ipsa & humilietur, sub potenti manu Dei altissimi, subiecta sit Deo, & his pariter, quibus vice eius habet obedire praetatis: & continuo corpus suum inueniet obediens, & subiectum. Sic ille.] Primus homo per inobedientiam a Deo delinquit, & statim carnem aduersus mentem rebellantem sensit, cui ipsa inobedientia contra spiritum vires adiecit. Aperti sunt oculi amborum, ait Scriptura, ut scilicet impetum carnis suae aduersus spiritum insurgentis aduertirent, & se peccato pacem perdidisse cognoscerent. Nudi erant, quemadmodum loquitur Augustinus, & non confundebantur, non quod eis sua nuditas esset incognita, sed turpis nondum erat, quia nondum libido membra illa praeter arbitrium commouebat: nondum ad hominis inobedientiam redarguendam sua inobedientia caro quodammodo testimonium perhibebat. Gratiaque remota, ut poena reciproca inobedientia plegetetur, extitit in motu corporis quaedam impudens nouitas: & fecit atentos, reddiditque confusos. Hunc fructum, quem in primis pa-

rentibus inobedientia tulit, in nobis saepe affert, ut quoniam maioribus nostris obedire renuimus, quos detestamur, quos horremus, in carne nostra prauos motus sentiamus. Primo parenti inobedienti anima (Deo ita statuente) subiectionem denegarunt: sic nobis, dum praetatis mentem morigeram non exhibemus, affectus nostri obedientiam denegant, & aduersus rationem bonum cupientem rebellant. Si ergo inobedientia carnem ad defectionem prouocet, obedientia in officio continebit, & victoriam de illa feret. Vnde Climacus carnem sic ad spiritum loquentem inducit. Si obedientiae collum submittas, a me disunctus es. Iniquam scilicet pacem, qua mihi ad tuam perniciem iungebaris, dissoluiti, & meos impetus superasti. Ecalio loco. Vidi populos obedientiae deditos facile compungi, placidos esse, continentis, studiosos, feruentes, quos patris praesidium bello seruauerat immunes. Et quidem nos similia vidimus, viros nimirum spirituales obedientiae addictissimos, carnem non tam corporis afflictatione, quam omnimoda subiectione viciisse. Qui in praemium perfectae obedientiae ancillam suam, nempe carnem, obsequentem accipiunt: & eius impetum iam lassescens frangunt. Merito igitur Ambrosius. Si homo in eo quod factus est, perduisset, non esset potestas inimico ad carnem eius accedere, & animae contraria suffurrare. Atque adeo nos ad id, quod ille perdidit, scilicet ad obedientiam, qua Deo subditus erat, redeamus, & ut obedientiae mercedem, carnis victoriam non sine exultatione loquemur.

Infestissimus tandem hostis homo sibi ipsi, qui dum extra legem Dei sibi ipsi consentit, non aliud quam mortis excidium parat. Hunc vero hostem ab obedientia vinci palam testatur est Gregorius. Vir ait obediens loquetur victorias, quia dum alienae voci humiliter subdimur, nosmetipsos in corde superamus. Et vero haec est praecipua obedientiae victoria, quia homo vincens semetipsum, qui vicit reliqua omnia, fortior ostenditur, & maiorem ex hoc facinore, quam ex aliis gloriam assequitur. Vincit homo seipsum per obedientiam, nam & iudicio suo compedes iniicit, & voluntatem catenis illigat, & corpus, ac omnem motum eius a noxia libertate auocata ad Dei seruitium prouocat. Vincit seipsum, quia suis desideris vim infert, & libens propter amorem Domini alterius voluntati subiicit. Vincit seipsum, quoniam quicquid ipse est, & potest, feruore obedientiae superat, ut non proprium iudicium sequatur, aut propriam voluntatem faciat, sed Dei, ac praetatorum mandata custodiat. Is profecto iam victor existens loquetur victorias, quas de seipso reportauit, quia ut Hieronymus ait Beda ait, dum per obedientiam sua desideria vincere satagit, per iustitiam iudicis postmodum victoriae palmam percipit. Is est ille, cui victoriam de se consequuto tam illustria praemia in Apocalypsi promittuntur. Vincenti, inquit, dabo edere de ligno vitae. Qui vicerit, non laedetur a morte secunda. Vincenti dabo manna absconditum, & calculum candidum. Qui vicerit, & custodierit in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes, & reget eas in virga ferrea. Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis, & non delebo nomen eius de libro vitae, & confitebor nomen eius coram patre meo, & coram Angelis eius. Qui vicerit, faciam eum columnam in regno Dei mei. Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo. Quis nam est iste victor, iste vincens, qui vicit? An est vir

Climac. grad. 15.

Gradu 4.

Grig 35. mor. 10

Ibid.

Apoc. 2.7

n. 11. n. 17. n. 27.

Cap. 3. 3.

n. 12. n. 21.

Col. 3.4.

1. Iob. 5.4

Thom. à Camp. li. 2. de imitat. Christi. c. 14.

Ber. ser. 2. omnium sanctorum. Matth. 5.4.

Gen. 3. 6.

Aug. 14. de Ciu. 17.



obediens, qui loquitur victorias multiplices, quas de suis hostibus acquiritur? Non incongruè sanè ita intelligemus. Cum enim vincenti absolute, & non vincenti hæc aut illa præmiorum genera; hæc eximia præmia promissa sint, illi promissa videntur, non qui in hoc bello victor, & in illo victus est, sed qui omnes hostes vicit, & in cunctis conflictibus victor euasit. Is autem non est alius, quàm qui ad Deum, & maiores suos perfectam obedientiam tenuit. Hic ergo multiplices victorias loquatur, & septuplex præmium reportet. Illi datur, vt Christum vitæ lignum in suauitate manducet, & æternam damnationem ignoret: vt puritate ditatus arcana diuina cognoscat: vt suis appetitionibus dominetur: vt in hac vita virtutibus & in futura virtutum præmiis cum honore vestiatur: vt alios instar columnæ, verbo & exemplo sustentet: vtque tandem cum Christo obedientium capite in perpetuum regnet. Hæc igitur sunt obedientiæ præmia, hæc multiplices ipsorum victoriæ, quibus ad illas diuitias possidendas perueniunt, vt quia quod ad Dei laudem ore loquuntur, opere perfecterunt, tam perfecti operis mercedem consequantur.

De Mirabili tranquillitate Obedientium.

CAPVT XV.



VICTORIAM sequitur pax, & tranquillitas animorum, qua victores sibi repugnantes omnino subiiciunt, & interna serenitate lætantur. Quare si obedientia de hostibus victoriam assequitur, non mirum si pacem & tranquillitatem efficiat. Et sanè in hac vita obedientiæ præmium est pax, & quies animi, incomparabilisque serenitas, quam illi habent, qui sponte iugum obedientiæ suscipiunt. Ponamus pacem duplici ratione turbatam; aut quia aliquis maiori repugnat, aut quia inferiori sibi contradicenti non imperat, cum illum compefcere, & in debita subiectione continere non possit. Si autem quis & superiori pareat, & ab inferiore debitam subiectionem accipiat, perpetua quadam tranquillitate cumulabitur. Hæc duo secum afferunt obedientiam: nam Deo nos & superioribus subiicit, & ab his quæ infra nos sunt, nimirum à viribus, & appetitionibus nostris, perfectam subiectionem extorquet. Nam iudicio nostro frangum iniicit, ne contra mandata prælatorum aliquid sentiat: voluntatem cohibet ne opposita his, quæ iniuncta sunt, cupiat: appetitum continet, ne in periculosam libertatem diffluat: corpus demum ad imperata exequenda applicat: & ita cum ipsa maioribus pareat, & illi vniuersæ nostræ vires obediant, non est vnde turbationem pertimescat. Profectò ita expectimur animos perfectè obedientium læta quadam serenitate pacatos; & ab omni spiritus perturbatione seiunctos. Quibus obedientia pro tribulatione data est, vt dum per viam tribulationis in Dei regnum non vadunt, sciant, quia per viam obedientiæ, quæ securissima est, & plenissima incunditatis, incedunt. Scriptum quidem est: Omnes, quia piè volunt viuere in Christo IESU, persecutionem patientur: Et, quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. Et: Nonne oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam? Sed veri obedientes quasi his legibus eximuntur, quibus obe-

2. Tim. 3.
12.
Act. 14.
21.
Luca. ult.
46.

A dientia ipsa pro persecutione, & tribulatione, ac martyrio decernitur. Obedientia enim proprium iudicium, & propriam voluntatem, cunctorum origines malorum, persequitur: corpus ipsum piis obsequiis quasi tribulationibus atterit, & amorem proprium nobis vsque ad mortem infidiantem occidit. Quid magnum si ipsa vicem persecutionum, & tribulationum, & martyrij suppleat: nõc que lætos & tranquillos in patriam æternam perducat? Immo sicut qui iustior est, eo est tribulationibus ditior: Nam, [Multæ tribulationes iustorum.] Et omne gaudium existimate fratres, cum in varias tentationes incideritis: Ita qui obedientior est, hoc ipso etiam est tranquillitate locupletior: quoniam obedientia pro tribulatione habita non turbationum stimulos, sed quietis flores imponit.

B Doroteus rerum spiritualium magister peritissimus apertè fateatur, tranquillitatem animi ex obedientia manare: Obedientia, ait, factum est (credite quod dicam fratres) vt in tanta semper quiete & securitate essem, vt plerumque pœniteret me tantæ tranquillitatis. Enarratisque, tum responsione cuiusdam superioris, qua dictum est illi, obedientiam vicem tribulationum gerere; tum visione quadam sua, qua Angelus illum ex magna tristitia ad incredibilem exultationem eduxit, hæc subdit: Hæc vobis dixi, fratres, volens ostendere quam securitatem, quam quietem habeat, tranquillitatemque, nulla in re seipsum instituire, sed omnia sua ad Dominum referre, & in eos, qui post Deum possunt nos regere. Discite igitur interrogare, discite vos ipsos non regere, quam bonum sit. Hoc enim humilitas, hoc quies, hoc gaudium est. Meritò verò hic beatus vir obedientiæ humilitatem, quietem, ac gaudium attribuit. Nam nec obedientia potest ab humilitate scerni, cum sit quedam inferioris ad superiorem subiectione; nec potest, à quiete diuelli, cum sit iudiciorum, & voluntatum maioris minorisque coniunctio: nec potest à gaudio seiungi, cum conscientia nostra semper de hoc gaudeat, quòd assensui rectæ rationis inhæreat. Quid autem rationi conformius, quàm vt inferior suo maiori subdatur? In tantum certè quies mentis ab obedientia dependet, vt hæc nihil aliud, si rectum præcipit, quàm ipsam quietem tranquillitatemque præcipiat. Dixit Dominus mari: Tace, obmutescet: & statim tacuit, atque obmutuit, & cessauit ventus, & facta est tranquillitas magna. Et similiter ait prælatus subdito, qui non aliter cogitationibus, aut fluctuationibus mentis suæ, quàm vento mare turbatur: Tace, obmutescet; & è vestigio illa fluctuatio cogitationum cessat, & tranquillitas mentem occupat. Quanam ratione hoc contingat, explicemus. In hoc enim miraculo Domini vitam religiosam esse depictam venerabilis Beda non incongruè proficitur. Et nos quoque singuli, ait, cum signo Dominicæ crucis imbuti sæculum relinquere disponimus, nauem profectò cum Iesu conscendimus, mare transire conamur. Sed qui [non dormitabit, neque dormiet.] Israël custodiens semper, nobis tamen sæpe nauigantibus quasi inter æquoris fremitus dormit, quando crebrescente inter medios virtutum nisus, vel immundorum spirituum, vel hominum prauorum, vel ipso nostrarum cogitationum impetu, fidei splendor obtenebrescit, amoris flamma refrigescit. Sic ille. Religiosus igitur cum vitam spirituales inchoat à terra in caelum in ligno crucis enauigat. In hoc decursu maris sæuam tempestatem patitur, dum à suis cogitationibus, & desiderijs ad varia

Pf. 13. 10
Iaco. 1. 2.

Dorothe.
Doctr. 5.

Mar. 4.
39.

Beda lib.
2. in Mar.
61.

Isai. 5.
27.

studia permouetur. At si periculum aduertens ad praelatum vicem Domini tenentem accurrat, si ab eo quid sibi faciendum, quid omittendum sit audiat, quasi illam vocem excipit: [Tace: obmutescere:] quia illud audit, quo propria desideria, & cogitationes euanescent. Si vero intellecto imperio, maioris iudicio, & voluntate & actione pareat, iam verè tacent varia cogitata, obmutescunt inania desideria, & cordis sequitur mira tranquillitas.

Obedientia ergo quies mentis, & obedire quiescere est, nec poterit mentem pacatam possidere, qui varios ad non obediendum, & suo arbitrio viuendum, pretextus obtulerit. At qui perfectè obedientiæ se dederit, hic tranquillitatem, & in futura vita tentorium gloriæ obedientibus præparatum inueniet. Quidam dixit Iosue Rubenitis, &

Iosue. 12. 2.4.

Gaditis, postquam terram Israëlitis promissam expugnauit? [Fecistis omnia, quæ præcepit vobis Moyses famulus Domini, mihi quoque in omnibus obedistis. Quia igitur dedit Dominus Deus vester fratribus vestris quietem, & pacem, ite in tabernacula vestra, & in terram possessionis, quam tradidit vobis Moyses.] Rubenitæ, & Gaditæ emagines sunt obedientium, quia sicut illi priores, suorum laborum filios, id est, fructus, vident, & spe felicitatis gaudent. Hi fratres suos ad capiendam terram promissam, id est, cælum diripiendum, verbo & exemplo iuuant. Et quia obedierunt Moysi, & Iosue, nimirum praelatis suis, pacem, & quietem primò, deinde, vt in cæleste tabernaculum eant, facultatem acquirunt. Ibi eam partem terræ viuendum possidebunt, quam in hac vita positi gemitibus, & desiderijs à Domino postularunt. Dilige ergo, o iuste, obedientiæ viam, si mentis tuæ quietem diligis, quia non alia via ad quietem quam obedientia peruenies. Nam si vera sapientia non est alia, nisi quæ in nobis infert custodiam mandatorum, & hæc ab obedientia seiungi non potest, quis non videat, quæ de sapientia dicuntur, ad obedientiam posse transire? Inuestiga igitur illam (cognoscendo naturam, & gradus illius) & manifestabitur tibi, & continens factus ne derelinquas eam: in nouissimis enim inuenies requiem in ea, & conuertetur tibi in oblectationem.] Fortassis cum obedientiæ viam ingredi cœperis, asperum tibi videbitur alterius arbitrio viuere, & propriam relinquere voluntatem. At cum paululum assueueris, requiem in exequenda voluntate alterius, & voluntatem in nobilissima hæc seruitute reperies. Erunt tibi compedes eius in protectionem fortitudinis, & bases virtutis: & torques illius in stolam gloriæ. Videbuntur tibi obedientiæ opera quasi compedes iniecti pedibus tuis, qui te ligant, & reddunt infirmum; at re vera sunt firmamenta virtutis, quibus robustus & validus contra aduersarios efficietis. Apparebit primo aspectu subiectio quasi res vilis, & propria seruorum: sed si introrsus inspicias, videbis eam esse instar torquis ex gemmis & lapidibus pretiosis compacti, quo filij principum vtuntur ad gloriam. Sic Egidius Beati Francisci filius de obedientia sentiebat, cui cum data esset facultas à beatissimo Patriarcha eundi quò vellent, ille post ses dies nullam requiem spiritus inueniens ad requiem, & ad exultationem animi, nempe ad exquisitam in omnibus obedientiam tenendam, repedaui. Enique patrem rogauit, vt sibi & locum, & cœnobium, & occupationem præscriberet, ne merito, & quiete, & gloria perfectæ obedientiæ careret.

Ecl. 6. 28.

Hanc mentis tranquillitatem Dominus ipse obe-

A dientiæ promissit, dicens: [Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris.] Ad iugum admittendum hortatur, & in præmium requiem pollicetur. Quodnam est iugum, quod ipse Dominus Maiestatem suam vocat, quasi ipse qui liber est iugo portando subdatur? Per iugum omnes Euangelium, & legem Christi, per obedientiam custoditam, & operi mandatam, intelligunt. Obedientia itaque quæ mandata à Deo vel à præpositis vice Dei imposta seruat, iugum est. Iugum, quod Christum, & animam religiosam iungit, vt idem onus simul ferant. Iugum potius Christi quam animæ: [Tollite, inquit, iugum meum,] quoniam ipse gratia sua totum onus fert, vt fere nihil oneris anima sentiat. Iugum suauis, & onus leue, quia à Christo benignissimo principe, & à praelatis vicem eius gerentibus, & imitatoribus suæ benignitatis, imponitur. Leue, quia nostræ imbecillitati, & sæpe nostræ naturali propensione se accommodat: quia non ex timore, sed ex amore prælati, & rei imperatæ subicimur, non vi sed sponte ducimur, non soli ad ferendum relinquimur, sed potentissimo Dei auxilio inuamur. Iugum tandem suauis, & onus leue, quoniam dum onerat, non premit, sed tranquillitatem & multiplicem consolationem cõfert. Vt enim scribit Dionysius Richelius: obedientibus, & veris religiosis dat Deus multiplicem consolationem, mentis tranquillitatem, conscientia serenitatem, & copiosum in omni gratia & virtute profectum. Etenim quanto plus amore Dei spernant, ac vitant solatia carnalia, & mundana, & timorati sunt, & iugi cordis custodia, tanto copiosius promerentur consolationes spirituales, internas, diuinas. De talibus quippe Propheta loquitur Deo: Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondidisti timentibus te: perfecisti eis, qui sperant in te, in conspectu filiorum hominum. Proteges eos in tabernaculo tuo à contradictione linguarum. Abscondes eos in abscondito faciei tuæ à conturbatione hominum.] Hæc ille.] Si ergo præmia magnos etiam labores superant, & ad ardua & difficilia aggredienda roborant; quare non ad perfectè obediendum incitabimur, vt tam exitium præmium cõparemus? Est enim quies mentis, finis laborum, lectulus floridus voluptatis, pro qua adipiscenda vniuersa creata mouentur, & nunquam cessant, donec in suo fine cuius gratia condita sunt, suam requiem cõsequantur. Hanc per obedientiam consequi certè magnum est, non tamen mirum, quia obedientia ad Deum nostrum finem perducimur, in quo solo verè quiescimus. Ipsum autem ad illum duci, & per obedientiam subiici, initium est illius vitæ, quam speramus, & quies huius vitæ in qua nunc laboramus; quia nunc non in alio valemus quiescere, nisi in eo, quod potest nos ad æternam requiem leuare.

Matt. 11. 30.

Dionys. opusc. de professio. monast. art. 14.

Psal. 30. 20.21.

Psal. 24. 8.

E Et quidem ideo à nobis Deus obedientiam exigit, vt per illam ad animi dulcedinem & tranquillitatem ducat. Quod Sanctus Paulus illis verbis edocuit: Dulcis & rectus Dominus: propter hoc legem dabit delinquentibus in via.] Quia, inquam, dulcis & rectus est, ideo peccatoribus legem dedit, vt per obedientiam eius, non solum ad rectitudinem animi, sed etiam ad dulcedinem ducerentur. Quid enim Deus intendit, nisi nos lapsos à peccatis abducere, & ad sui similitudinem reuocare? Ipse rectus est. Vult ergo vt recti simus, & ab obliquitate peccatorum alieni. Ipse dulcis est. Vult ergo vt spiritum dulcem, id est, quietum, tranquillum,

Isa. 26. 12

Psal. 118. 32

Matt. 19. 17

Matt. 26. 34

nulla turbationis amaritudine infectum habeamus. Vtrumque autem obedientia suae legis praestat, ut sicut ipsa obedientia mandatorum rectos nos facit, ita & in praemium rectitudinis quietos efficiat. Quo autem haec obedientia crescit, & ad quosque praelatos propter Deum se demittit, & ad quaeque minima praestanda se extendit, eo necesse est, maiorem ab ea tranquillitatem emanare. Voluntas quippe nostra seminarium est turbationis nostrae, origo inquietudinis, atque initium tristitiae. Quo autem obedientia exquisitor est, & subiectio perfectior, eo amplius propriam voluntatem eliminat, & cor nostrum mentemque tranquillat. Id profecto significare videntur illa Isaiae verba: Domine dabis pacem nobis, omnia enim opera nostra operatus es nobis.] Quid est: opera nostra operatus es nobis? nisi, tu Domine per gratiam tuam illuminas nos, & adiuvas infirmitatem nostram, ut te sequi, & legem tuam custodire, & tuis iussis obedire possimus? Tu das nobis velle, & perficere pro bona voluntate tua, & ut operemur operaris in nobis. Hinc vero proveniunt ut impertias pacem nobis. Nec enim pacem & cordis tranquillitatem adipisceremur, nisi opera tibi placita exequeremur, & nisi tu opera nostra gratia adiuvante perficeres. Tranquillitas itaque mentis verè ab obedientia procedit. Et inde est, ut qui perfectionem obedientiae experti sunt, magis in dies eius amore ardeant, ac executione flammescant. Dicunt illi: Viam mandatorum tuorum cucurri cum dilatasti cor meum.] Ac si dicerent: antequam tuae legis exortam experiremur, ambulabamus quidem legnes, & non modicam in quocumque opere difficultatem sentiebamus. At postquam obedientia, & legis custodia, nos tranquillitate & exultatione repleuisti, iam ipsa laetitia animati non segniter ambulamus, sed velociter currimus, ut citius ad metam, scilicet ad perfectionem, accedamus. Maneat igitur, perfectis obedientibus cordis tranquillitatem in praemium dari: quare si volumus mente quietescere, & à perturbatione alieni esse, perfecti, & omnimodae obedientiae nos tradamus. Haec est enim quae dubitationes excutit, à perplexitatibus liberat, & omnem cordis perturbationem amandat.

De Magna gloria parata obedientibus.

CAPVT XVI.

DVPLEX praemium propositum, victoria scilicet & pax in hac vita obedientibus datur, tertium vero in futuram vitam promittitur. Illud autem est incomparabilis gloria, & felicitatis sublimitas, qua cumulati de custodia subiectione vehementer exultant. Quanta autem sit haec gloria, licet aperte non cognoscamus, ex multis licet colligere. Atque illud primum sit, soli obedientiae vitam aeternam esse promissam. Adolescenti enim interroganti: Quid faciendo vitam aeternam possidebo? responsum est. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.] Nullus vero ignorat, opus obedientiae esse custodiam mandatorum. Et postea: Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.] Esurienti enim, & dedisti mihi manducare,] & cetera, quae sequuntur. Haec autem mandata esse propter quorum obedientiam iusti caelestem gloriam obri-

quoniam

nebunt, nemo potest ignorare. Si igitur communi obedientiae ad quam uniuersi tenentur, gloria promittitur, obedientiae perfectissimae, & exquisitissimae, quam religiosi profitentur, quaque se totos Deo consecrant, maior & copiosior gloria promittetur. In terrena republica praemium militibus vincuntibus, & duci totum exercitum gubernanti, & vincenti, & cunctos ad victoriam dirigenti decretum est. Sed manifestum est discrimen inter praemium, & praemium. Illud est magnum, istud maius: illud pretiosum, istud vero multo pretiosius, & excellentius, ipsa iustitia exigente, ut qui plus laborauit, amplius recipiat. Ita communes obediens, quales reputamus omnes iustos, sicut velut milites: qui vero perfectam vitam arripiunt, & per obedientiam, se totos, & omnia sua Deo dedicant, sunt velut duces, qui reliquos exemplo praecunt, & suis magnis laboribus communes iustos ad paruos saltem labores superandos alliciunt. Quid mirum si in regno caelesti sublimiores sedes obtineant? Ideoque possessio aeternae gloriae merces vocata est, quia non inani affectu alicuius terreni regis, sed voluntati iusti Dei, & maiori, aut minori labori respondet. Redde, inquit, illis mercedem, incipiens à nouissimis vsque ad primos.] Nec nos moueat, quod nouissimi in acceptione denarij primis praeferruntur. Hoc enim ideo factum est, quia nouissimi vna hora plusquam alij tota die laborauerant, & ille, qui pollicitus est: [quod iustum fuerit dabo vobis,] iustum reddidit, cum plus modico tempore laborantes ceteris tepide viuentibus anteposuit. Ac proinde si maior est perfectorum obedientium labor, & pretiosior ipsorum oblatio, & quum est ut gloriam copiosior accipiant.

Deinde haec obedientium gloria eximia ex alio capite etiam elucet, nimirum ex cognatione obedientiae, & charitatis, quae tanta est, ut forte maior esse non possit. Nemo enim charitatem erga Deum, & proximum, sine obedientia mandatorum seruabit, & nemo perfectam virorum spiritualium obedientiam, quam hic tractamus, sine charitate custodiet. Quod ut confirmaret Dominus, eam non per aliud quam per obedientiam describere voluit. Qui diligit me, inquit, sermonem meum seruabit.] Illum quidem sermonem, qui eius legem ac mandata comprehendit. Et iterum: Ut cognoscat mundus quia diligo patrem, & sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio.] Ad quid ista dilectionis, & obseruantiae mandatorum conjunctio, nisi ut pateat nec charitatem sine obedientia, nec perfectam ac Deo placitam obedientiam sine charitate posse consistere? Charitas autem praecipua virtutum, earumque regina, talis naturae est, ut pro mensura eius maior aut minor in caelesti patria cuiusque gloria proueniat. Cum parua charitate decedis, parua tibi gloria praebetur: cum magna charitate hinc emigras, magna in caelo tibi gloria tribuetur. Nunc perfectissimam, & quae sanctitas dici mereatur, charitatem habes: si ab ea non excidis, eximiam etiam beatitudinem poteris expectare. Charitas est instar pecuniae, quia sancti in illo caelesti foro suam felicitatem mercantur. Vt quemadmodum qui modicam pecuniam ad forum accedens secum defert, rem parui valoris potest emere; qui vero magnam vim auri & argenti possidet, res pretiosissimas emptione conquiret; ita secundum magnitudinem charitatis iusti gloriae mensuram accipiunt. De peccatrice muliere dictum est à Domino: Remittuntur ei peccata multa,

Matt. 10. 8.

14.

Ioan. 14. 23.

Ioan. 14. 31.

Luca 7. 47.

quoniam dilexit multum.] Id est: quia externa signa multa & magnae dilectionis exhibuit, ex aequo & bono factum est, vt a me multa & magna peccata gratis ei remitterentur. Vel quia te vera multum dilexit post remissionem peccatorum, multa & magnae poenae tantis peccatis debita illi condonatae sunt. Sicur autem pro mensura charitatis & detestationis peccatorum plus aut minus poena remittitur, ita plus aut minus gloriae decernitur. Et qui nihil habet charitatis, plane nihil est, qui aliquid eius habet, aliquid est; & qui magnam perfectionem charitatis habet, magnus est. Propterea dixit Paulus: Si charitatem non habuero, nihil sum.] Vnde cum charitas sit, quae nos aliquid facit, consequens est, vt maior charitas maiores apud Deum & gloria digniores efficiat. Et, si dicas quod iustitiae ac virtuti habitae, ac bonis operibus gloria responderet? Audi Augustinum dicentem. Charitas inchoata, inchoata iustitia est; charitas prouecta, prouecta iustitia est; charitas magna, magna iustitia est; charitas perfecta, perfecta iustitia est.] Charitas bonorum operum est origo, & sanctis operibus, in iustis augetur, & crescit. Coincidunt ergo, aut commensurantur in adultis charitas & bona opera, & pulchritudo iustitiae. In eis post primam charitatem in baptismo, aut in momento iustificationis infusam, non potuit charitas nisi bonis operibus, aut interioribus, aut exterioribus aliquid augmentum obtinere.

Huius ergo virtutis praestantissima soror est obedientia, ei quidem admodum similis. Nam vtraque nos Deo iungit, & de illa scriptum est: Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.] De hac vero: [Et qui seruat mandata eius, in illo manet, & ipse in eo.] Atque de hac duplici virtute dixit Beda. Sit tibi Dominus Deus, & esto domus Dei: mane in Deo, & mane in te Deus. Mane in te Deus, vt te contineat: manes in Deo, ne cadas. Serua mandata eius, tene charitatem, noli te dinellere a fide illius, vt glorieris in praesentia ipsius, & securus manebis in eo modo per fidem, tunc per speciem. Manebit & ipse perennis in te, iuxta quod ei Psalmista decantat: In aeternum exultabunt, & habitabis in eis.] Vtraque etiam virtus facit idem velle cum Deo, & idem nolle, licet diuersa ratione; nam charitas per modum amici, obedientia per modum subditi. Illa, quia diligit, & haec, quia fidelis est, ex toto corde proclamant: [Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.] Vtraque secundum diuinum beneplacitum desideria, & actiones suas dirigit, & non aliam regulam, nisi quod debet, iubet, aut quod Deus fieri vult, exquirat. Atque: In toto corde meo exquisiui te, ne repellas me a mandatis tuis.] Vtraque est virtus generalis, quae ad omnium mandatorum custodiam impellit. Ac tandem sicut charitas est omnium forma virtutum, quibus vitam, & esse tribuit; ita & obedientia quodammodo virtutum est forma, quoniam id vnum in actionibus earum, vt diuina praeccepta compleantur, spectat. Si autem tanta est similitudo obedientiae, & charitatis, non mirum si dicamus pro mensura obedientiae iustis praestitae gloriae praemium augeri. Et quid ita est. Nam qui amplius laborauerit, & Dei, ac praetorum mandatis obedientior extiterit, is maioris gloriae particeps fiet. Vnicuique enim redditurus est Dominus secundum opera sua, qui vero amplius obedientiae, & mandatorum impletioni se dedit, plura & perfectiora opera virtutis eliciet: maiorem igitur mercedem accipiet. Et si pro mensura delicti, quae ad trans-

A gressionem pertinet, erit & plagarum modus; pro mensura etiam bonorum operum, quae sunt obedientiae fructus, merces illis destinata excrescet. Ac tandem crescente iustorum obedientia, crescit & charitas, quae bonorum operum ex obedientia factorum accessione capit augmentum. Ergo secundum augmentum obedientiae in iustis reperta (de hac enim loquimur) sicut & charitas, ita & gloriae merces augetur.

B lam ex his licet colligere quam magna erit in caelis perfectorum obedientium gloria, qui scilicet omnem vitam suam iuxta obedientiae praescriptum dirigunt, & vniuersa opera etiam indifferenter, & naturalia, vt sunt manducare, dormire, quiescere, secundum regulam obedientiae disponunt, & nec in minimo ex animo ab obedientia discedunt. Certè tanta erit ipsorum felicitas, vt nec lingua eloqui, nec mens valeat comprehendere. Quare merito Dionysius Richelius ad perfectionem obedientiae exhortans ait: Quarto ad hoc prouocare debet contemplatio beatitudinis gloriosissima, quae obseruantibus suam professionem promissa est, ac praestanda. Quanto enim in hac vita plenius se ipsos offerunt Deo, & eius seruituti se mancipant, tanto in regno caelesti Deus seipsum plenius, clarior, atque suauis reddet, coniunget, & applicabit ipsis; & quanto plus propter Deum suas siegerunt, ac abiecerunt voluntates, & quod per obedientiam profundius humiliauerunt seipsum, eo in paradiso caelesti Deus omnipotens gloriosius adimplebit voluntatem ipsorum, eosque sublimius collocabit. Haec ille, qui & statim ex vitis Patrum historiam narrat, Quod quidam sanctorum Patrum in extasi positus vidit quatuor genera hominum Deo placentium. Vnum fuit infirmorum, qui in suis infirmitatibus patientiam habent, & Deo regratiantur. Secundum fuit, eorum qui hospitalitatem, & opera misericordiae exhibent. Tertium fuit, omnino solitariorum. Quartum, cenobitarum, qui sub spiritualis patris, aut matris regimine seruiunt Deo. Hi erant maiores in gloria, & torquibus vti aureis videbantur, qui praeter ceteris propriam voluntatem propter Deum integralius dereliquerunt.] Hi profecto clarissimum specimen praebent, quod magnam charitatem habent, quod proprium amorem perfecte reiciunt, quod feruentissimè se totos abnegant, & a terrestri Adamo secedentes, Adamo caelesti, scilicet Christo, se omnino conformare student. His vero iure optimo maiorem gloriam coniectamur paratam esse, quam illis, qui extra obedientiam rectè viuunt, & non ad tantam sui abnegationem, & Christi imitationem perueniunt. Illi videntur aliquid sui Deo dicasse, illi vero vniuersa, quae sunt, & habent, mente promptissima obtulisse. Istas vero maior & pretiosior oblatio, & Deo gratior, & maiori praemio dignior censetur. Nec immerito pulcherrimis torquibus exornantur, qui colla sua iugo obedientiae & subiectionis vinculis subdiderunt. Implebitur in te, o iuste, si hanc fueris obedientiam sectatus, illud Ecclesiastici: Decor vitae est in illa, & vincula illius alligatura salutis. Stola gloria indues eam, & coronam gratulationis superpones tibi.] Cum, inquam, iugum audis, & vincula meditaris, ne existimes in obedientia aliquid dedecoris reperiri. Decor enim vel ornatus aureus, qui vitam impertiat, est in illa, cum maximus honos sit, & praemio vitae aeternae dignus, propter Deum homini subiecti, & propriam voluntatem abnegare. Obedientiae vincula non tam vincula sunt, quam fila hyacinthina (vt habet alia li-

Dion. de professione monast. ar. 14.

Eccles. 6. 31.

1. Cor. 13. 2.

Aug. lib. de nat. & gra. c. 11. 10. 7.

1. Iom. 4. 16. 1. Iom. 3. 24. Beda in Iom. ad c. 6.

Psal. 5. 12.

Psa. 142. 10.

Psal. 118. 10.

tera)

tera) vel alligatura salutis. Hæc nos ligat, vt liberet, tenet, vt saluet, & vt à fouea iniquitatis eripiat. Conuertiturque in stolam gloriæ, & seruum exultationis, quoniam qui obedientiæ se subiecit, pro veste seruiti amicum beatitudinis, & pro subiectione coronam regni, quæ in perpetuum exaltet, accipiet.

Aliud caput tandem attingamus, ex quo obedientium gloria colligatur. Illud autem est illustrissimum virtutum comitatus, qui obedientiam vndique cingit. Nam qui perfectè, & ob Dei, ac perfectionis amorem se homini subiecit, certè magna charitate flammatur, certissima spe ac fiducia subnititur, profundissima humilitate decoratur, fortitudine roboratur, patientia defenditur, & constantia stabilitur. Quid quòd virtutes reliquæ obedientiam præcedunt, aut subsequuntur, nihilque est in hoc virtutum, ac bonorum operum genere, quod non verus obediens exquisitè perficiat? Hinc est, quòd cum virtutes ad hoc data sint, vt affectus comprimant, & vires nostras ordinent, Deoque subdant, hæc vna obediètia, tamquam omnes virtutes continens, mirificè præstat. Intellectum Deo, ac prælati subiecit, voluntatem frangit, vires sensuum, & membra ad opus mouet, & quidquid est in homine, in omni loco, & in omni tempore in Dei obsequium impendit. Si ergo vna virtus sola magnam in cælis gloriæ expectat, & meritò expectat, hæc virtus generalis cæteras quasi sui partes continens, atque ea si cumulara meritis, & laboribus circumsepta, quod præmium expectabit, ad quam gloriosam sedem ascendet? De quibusdam sanctissimis viris, vt de Martino & Francisco, canit Ecclesia:

Hic sanctus pauper, & humilis cælum diues ingreditur, hymnis cælestibus honoratur. Liceat mihi de hac virtute præstantissima hoc idem ad ostensionem eius gloriæ cantare. Obedientia pauper, & humilis cælum diues ingreditur, hymnis cælestibus honoratur. Expende tu, cum duo homines, alter pauper, & alter diues curiam regiam ingrediuntur, pauperis diuitisque discrimen. Si curiam ingreditur pauper, aut certè eius honestus, sine strepitu ab aliquo amico excipitur, at si clarissimus princeps adueniat, non sine magno plausu, & celebri apparatu ciuitatem ingreditur. Nobiles & magnates ad eum extra ciuitatem accurrunt, & cum illustri comitatu in domum amplissimam optimè præparatam, vel certè in ipsam regiam deportant. Huius discriminis causa est, quòd ille vt pauper, hic vt diues; ille vt priuata persona, hic vt publica curiam intrauit. Sic ego de obedientia, ac de alia quâpiam virtute morali cogito. Si cælum ingreditur continentia, si fortitudo, si paupertas, si alia similis virtus, in qua quis emittit, locum, & hospicium suis meritis parem inueniet. At obedientia perfecta si cælum ingreditur, vt princeps clarissima ingreditur, quam omnes virtutes cingunt, multa dona committantur, plurimi sancti labores circumdant, ita vt pro meritis, debeat locum eminentiorem accipere, & in domum amplissimam, ac plurimis diuitiis refertam deportari. Hæc cælum ingreditur diues in meritis, diues in miraculis, diues in virtutibus, diues in signis. Diues quidem in meritis, quæ quia omnia vt obediens perficit, in omni loco, & in omni tempore, & in omni opere sua metita auget. Diues in miraculis, quoniam à Deo plurima miracula facta sunt, vt quam sit sibi grata subiectio, approbet atque confirmet. Diues in virtutibus, quæ ad omnem virtutem exercendam allicit, & cœtum viuicarum virtutum vel præcipientium, vel comi-

tantium, vel subsequentium secum vehit. Diues tandem in signis, quia verè sanctitatis est index, Christi, & Sanctorum imitatrix, & omnis, quæ imitatoris Adæ videbatur, propriæ voluntatis expultrix. Virtus tam diues, tam præclara, tam illustri quid ni magnam in cælis gloriæ obtineat? Certè veri obediens atque perfecti incomparabile gloriæ præmium possident, vt ille, qui per obedientiam vsque ad mortem exaltatus est, membra sua iter subiectionis ingressa secum in eminentissimo loco collocet, & præmio magnæ felicitatis exaltet.

Qua viâ, & ratione discemus Obedientiam.

CAPVT XVII.



M N I s obedientiæ latitudo septem à nobis gradibus comprehensa, tribus illis præcipuè continetur, quibus quod à superiore mandat, exequimur: & voluntatem nostram maioris voluntate formamus, & iudicium iudicio eius submittimus. Pro his ergo tribus gradibus assequendis specialia media assignabimus, quæ si præstiterimus, beneficio Dei, perfectionem obedientiæ consequemur.

Vt ergo, religiose vitæ ad promptam obedientiam executionis peruenias, hæc tibi sunt omnimodis obseruanda. Nulli ministerio, nulli occupationi, nulli rei quantumvis speciosæ, aut fructuosæ, nisi soli obedientiæ te dedices. Publicus, exempli gratia, Theologiæ, aut Philosophiæ præceptor, doctrinæ, & lectioni se consecrat, concionator concionibus disponendis, & prædicandis, scholasticus studiis, officialis muneribus externis se dedicat, & quia vnusquisque est suæ occupationi dicatus, & plus nimio addictus, hinc prouenit, vt difficultatem in obedientia recenter sibi iniuncta sentiat, & non promptè neque hilariter pareat. Quæ ergo nobis fuerint quasi stabiliter, & ex professo, atque ad longum tempus iniuncta, diligenter quidem, & alacriter facienda sunt, ac sine immoderata adhesionem præstanda, vt quotiescumque ea vel interrumpere, vel pro aliis muneribus commutare, vel ex toto omittere oporteat, obedientia non alicui rei alligatos, sed promptos, sed expeditos, sed sibi soli dicatos inueniat. Hoc documentum ex Bonauentura discemus, qui loquitur in hæc verba: Esto dominus tui ipsius, nec des alicui potestatem cordis tui, nisi Deo, & prælato tuo propter Deum. Esto ita expeditus ab omnibus alienis occupationibus vel affectionibus, quòd in nullo, prælato tuo aliquando molestus sis pro licentiis aliquid agendi, vel eundi, vel dandi, vel accipiendi. Et ita liberè arbitrio suo te committas, quòd tibi securè dicere possit: Fac hoc, & dimitte illud. Et tu sine murmuratione cordis, & difficultate facias, vel dimittas. Alioquin paruum fiduciam potes habere de merito obedientiæ tuæ, quam vouisti Deo in manibus sui vicarij, vel tui prælati. Si tu per impatientiam, vel importunitatem, cum vuleris eum tibi seruire, vel te licentiare quo tempore velis, nolueris, murmures, tunc non intrares per ostium, quod est Christus, in ouile sanctæ religionis, quia non venit facere voluntatem suam,

Bonauent.
trac. de
interiori
homine. p.
1. c. 40.

sed

fed patris. Ita enim tu fur esses, & latro. Fur, quia rem alienam, hoc est, voluntatem propriam, quam praelato resignaueras, eo inuito usurpares. Latro, quia tali exemplo animas simplices necares. Hac ille.] Bene itaque obedientibus dicemus, licet in alio sensu, illud Pauli Vosenim in libertatem vocati estis, fratres, tantum ne libertatem in occasionem detis carnis. Illi profecto in libertatem vocati sunt, vt scilicet nullius occupationis, aut muneris serui fiant, sed liberi & expediti a nimio affectu, ad ea quae sunt acturi, procedant. Quae libertas optima est, & ad conseruandam mentis serenitatem, & spiritum obedientiae promouendum necessaria, dummodo ex hac libertate in negligentiam, (quae libertas carnis vocari potest) non decidat. Sint velut illa Ezechielis anima, de quibus in re alia scribitur: Vbi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur. Illa, inquam, non ad huc vel illum locum se inclinabant, sed omnino parata erant, vt huc vel illuc a diuino spiritu ducerentur. Sic & obedientes non ad hanc vel illam functionem afficiantur, sed indifferentes sint, vt pro impetu spiritualis patris in hoc vel in illo occupentur.

Confert etiam ad promptam obedientiae executionem, vt non solum ad nullum munus, nullamque functionem afficiaris, verum & vt cor tuum ab omni affectu reu creaturarum liberet, qui te ab obedientia retardare possit. Hac nuditate affectionum existimo a Domino paratos fuisse discipulos, vt post ipsum irent, & absque vlla mora, & tergiversatione, vniuersa relinquerent. Illi, ait, continuo relictis rebus secuti sunt Dominum. Pöderat Chrysostomus istam Apostolorum promptitudinem, dicens: Perpende & fidem, & obedientiam vocatorum, siquidem in medio ipsius operis constituti, cum illum audissent iubentem, nihil distulerunt, nihil omnino cunctati sunt; non dixerunt, reuertemur domum, loquemur propinquis, sed cuncta illico relinquentes, fecerunt quod Eliazus quoque sub Elia legitur impleisse. Talem quippe obedientiam a nobis Christus efflagitat, vt neque punctum temporis differamus, etiam si nos aliquid necessarium virgere videatur. Propter quod & alium quendam accedentem ad se, & rogantem, vt ad sepeliendum patrem rediret, nec id quidem facere permisit, ostendens quia Christus cunctis sit etiam necessitudinibus preferendus. Sic ille.] Quomodo ille, qui suauiter omnia disponit, piscatores istos ad tam promptam obedientiam permouit? Non aliter (vt puto) quam in eis affectum lucri moderando, & immoderatum amorem erga patrem, & retia, & cymbam, auferendo. Ita si immoderatum affectum erga res abutuleris, facilem ac promptum ad obediendum te senties.

Adeo autem necessaria est hae affectuum nuditas ad facilem obedientiae executionem, vt necesse sit ad ipsum praelatum iubentem nimio amore non affici. Vnde Dorotheus ait: Subijcere superioribus & ducibus tuis, & illorum nimiam consuetudinem vitae: est enim laqueus, negligentes & desides in perditionem inducens.] Si enim hunc praelatum, & res illius, ac modum gubernandi nimio amore dilexeris, alio clauum accipiente, & aliter domum, aut prouinciam regente, eius mandatis alterius gubernationi contrarijs obluclaberis, & forte, vt minus discreta contemnes. Dilige itaque praelatum, vt patrem, & eius mandata in pretio habe, & amoris tuo, & estimationi modum pone. Scito, hae quae ille praecipit, pro hoc tempore, quo praelatus est, salubria & vtilia reputare; pro tempore vero, quo iam non ipse sed alius praest, alia, etiam si opposita videantur, proficua, & discreta cognoscere, vt in omni tempore pro-

A ptus obediens inueniaris, & non tuis dictaminibus aut amici tui, sed praecipis maioris cuiuscumque propter Deum subiectus reputeris. Ac tandem, vt haec media rectae executionis concludamus, certum sit, quemcumque amorem, vel timorem immoderatum obedientiae executioni obstare. Quare Richard. de Sancto Victore ait: Duo sunt, quae solent perfectionem obedientiae praepedire, id est, ne cogamur vel amata deserere, vel aspera tolerare. Sed si temel animus amore abstinentiae, vel patientiae, perfecte incaluerit, protinus Ruben, id est, timor Dei, ad omnem obedientiam absque vlla contradictione se subdit. Qui enim tam aduersa perpeti, quam in prosperis non delectari, apud semet ipsum statuit, quae difficultas eius obedientiam minuere poterit? Si enim dura & aspera quaeque pro Dei amore etiam per memet ipsum appeto, cur non magis haec ex adiuncta obedientia, ad maioris meriti gloriam tolero? Sic ille.] Nihil igitur immoderate amemus, nihil immodice timeamus, & iniuncta promptae ac facilitate exequemur.

Ad obedientiam voluntatis tria alia iuuant, quae modo subijciam. Vnum est, vt praelatos tuos diligas, & eos de te bene meritos patres agnoscas. Illi enim (vt iam diximus) verè sunt patres subditorum, statu & affectu. Statu quidem, quia habent officium parentum, & debent subditos diligere, & eis necessaria ministrare, & ab omni malo defendere. Affectu vero, quia hoc ipsum ad quod tenentur, praestant, & a subditis mala auertere, & in omnibus prouidere desiderant. Dilige itaque illos, & tunc libenter eis obediens, non aliter quam boni filij parentibus, sponsae dilectissimis suis viris obediunt. Ad hanc dilectionem obedientiae coniunctam Ecclesiastici verbis hortaris, ita dicentis: Filij sapientiae Ecclesia iustorum, & natio illorum obedientia, & dilectio.] Iusti sunt, qui a sapientia instruantur, genusque eorum obedientiae ac dilectioni deditum est. Ita namque obediunt, vt simul diligant, ita diligunt vt simul obediunt. Bene proinde monuit Bernardus iustos, vt si praelati sunt, sint sicut patres ad filios; si subiecti, vt filij ad patres suos: si conuinentes, omnium seruos se faciant: pius ad omnes affectus, dulcis in bono consensus, occursum in hilaritate, cohabitatio in gratia, discensus in ostensione charitatis, ad minores quouis modo mitis affectio cum opere, ad patres amor vsque ad subiectionem, ad maiores reuerentia vsque ad seruitutem.] Ideo igitur a subditis amor exigitur, vt amor, quem habent ad praelatos, tamquam ad patres ipsorum voluntate inflectat, vt libenter onera obedientiae suscipiant. Dominus quidem nos amore ad obedientiam allexit: priusque praecipit, vt diligamus ipsum ex toto corde, ex tota mente: ex hoc amore ad aliorum mandatorum custodiam expeditam preparauit. Ita si dilexerimus praelatos nostros propter Dominum, facile voluntatem nostram ad obediendum flectemus.

Alterum est ad obedientiam voluntatis necessarium, vt diligas ea, quae tibi iniunguntur, ad ea te applices, & rationes queras, quae te ad earum amorem permoueat. Vt enim ait Leo Papa: Obedientia mollit imperium, nec dura tibi necessitate seruitur, ubi diligitur quod iubetur. David sanè ita se ad promptam & voluntariam subiectionem animabat, legem, quam erat seruaturus, diligens, & vtilitates obseruationis expendens. Quomodo, inquit, dilexi legem tuam, Domine, tota die meditatio mea est.] Et: Iniquos odio habui, & legem tuam dilexi.] Et: Leuauimus meas ad mandata tua, quae dilexi, & exercebat

Ri. har. Beniam. minor. p. 1. c. 28.

Ecl. 3. 1.

Bern. de nar. amoris diuini Caput. 8.

Leo ser. 4. de seru. 7. mensi.

Pf. 118. 97. 98. 99. 47. 48.

Gal. 5. 13.

Eccl. 1. 2.

Matt. 4. 20. Chry. yst. ser. 1. 4. 17. Matt.

Reg. 19.

Matt. 3.

Dorothe. doct. 1. 24.

Ambr. ad
psal. 118.
ser. 13. v. 2

Proter. 6.
20. 21. 22

Hier. ibi.

in iustificationibus tuis,] Legem ille diligebat, vt legem libenter custodiret. Qui enim diligit, vt Ambrosius ait, ex voluntate facit, quæ sibi sunt imperata: qui timet, ex necessitate.] Eadem ratione Salomon nos ad dilectionem mandatorum prouocat: vt ad voluntariam eorum custodiam animet. Conferua fili mi, ait, præcepta patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ. Liga eam in corde tuo iugiter, & circumda gutturi tuo. Cùm ambulaueris, gradiantur tecum; cùm dormieris, custodiant te, & euigilans loquere cum eis:] Hæc verba sic interpretatus est Hieronymus. Cùm ambulaueris in profectu iustitiæ, gradiantur tecum mandata Dei, vt te instruant: cùm dormieris in morte, custodiant animam tuam ne rapiat hostis: cùm euigilaueris in resurrectione, loquere, cum eis expectando præmia, quæ tibi, si ea seruaeris, promissa erant.] Hæc ille. At ita omnia ita possumus accipere vt feruidam erga dei legem amorem habendum designent. Ita igitur, si nos suo modo præcepta, aut quæuis prælatorum mandata dilexerimus, si rationes ad ea bona iudicanda, & salubria, & suauia quaerimus, promptissima voluntate ea complenda suscipimus. Nam quisque libenter facit quod diligit, & repugnanter ac difficulter quod non prius amore complectitur.

Tertium denique, quod obedientiam voluntatis inuay, est, si obedire ipsum ames, & veluti aliquid pretiosum, sicut verè est, magni aestimes. Sæcularis enim bonum sibi putat nulli obedire, sui iuris esse, & seruos habere, quibus possit imperare. At religiosus, qui mundum reliquit, qui detrimenda propriae voluntatis agnouit, qui propter imperium regni colorum se homini in hæc vita subiecit, bonum sibi existimet obedire, & alterius ductu gubernari. Quia verò quisque bonum suum diligit, hinc eueniet vt obedire diligit, & libentissimè obedientiæ actiones exerceat. Magni fecit David habitare in domo Dei: vnde cecinit: Quia melior est dies vna in atrijs tuis super millia.] Hinc autem quid sequuntur est? Id sapè vt iucundius haberet humi iacere in domo Dei, & ad ianuam eius contemptus volutari, quam in domibus superborum præcipuum locum tenere. Quare subdit: Elegi abiectus esse in domo Dei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.] Sic cognoscamus obedientiæ merita, & eius perfectionem diligamus, ita fiet vt libentissimè onus subiectionis portemus. Hanc ergo obedientiam qua propter amorem Dei, & virtutis bonum homo libenter prælato se subiecit, vocauit Bonauentura obedientiam charitatis. Sic quippe ille obedientiam in tria membra distribuit. Triplex est obedientia, scilicet necessitatis, cupiditatis, & charitatis: necessitate obedit, qui cogitur iniuris, & libenter esset liber, si posset, vel auerteret, vt asinus, & serui maleuoli, & similes. Cupiditate obedit, qui pro mercede terrena, vel commodo corporis, vel consolatione exteriori libenter facit, quod ei iniungitur, vt canis, vel accipiter, vel mercenarius, & similes illis: quanto autem obedientia plus habet de temporali proprio commodo, vel solatio, tanto minus habet de merito coram Deo. Merces prioris est euasio pœnæ, quam timet incurrere si non obediat. Merces secundi est spes adipiscendi, quod desiderat, obediendo pro obtinendo munere, vel solatio temporali. Obedientia charitatis est quando ex charitate Dei, & propter Deum, & propter diuinam remunerationem obeditur, largè sumpto nomine charitatis, sub qua tam timor pœnæ, quam desiderium præmij, quam affectus amoris Dei includitur, quorum primum est incipientium, secundum proficientium, tertium perfectorum.

Ps. 83. g.
11.

Bon. pro-
cessu. 6.
religionis.
c. 40.

A Hæc ille.] Atque hæc obedientia charitatis perfectorum dicitur, quoniam ad perfectionem nos proximè ducit.

Pro obedientia intellectus, seu iudicij obtinenda alia tria media proponimus. Illud autem primum sit, vt quoties iudicium tuum aduersus iussa prælati insurgere tæat, prudètia tua exilitatè, & experientiæ defectum aduertas. Quoties in tuis rebus errasti; quoties noxium pro vtili, & malum pro bono, & falsum pro vero sumpisti: quoties temporis decursu quod antea manifestè exequendum videbatur, fugiendum potius, & abijciendum deprehendisti? Ergo recta ratio, ac prudentia, poscit, vt tu præsertim, qui sub prælati imperio viuas, eius iudicio regaris, & iudicium ac rationes tuas ipsius definitioni submittas. Ne innitaris prudentiæ tuæ, ait Sapiens, id est: Esto quòd prudentiam habetas, & rerum cognitione ac in negotijs dexteritate polleas, at non debes in te ipso fiduciam habere, sed magis, præcipue in rebus proprijs, alterius iudicio ac ratione duci. Nec ideo quia bonæ vitæ sis, propterea, vt monet Ambrosius, debes tibi prudentiæ notionem arrogare. Sæpe enim boni errare possunt, sæpe specie recti decipiuntur, & quia sibi ipsi, & non alijs credunt, ab illa prima bonitate cadunt. Considera quoties tuum iudicium sequens errasti, è contra verò alterius, præsertim maioris, sententiam admittens, vtile & honestum attingisti, & ex tuis præteritis casibus discere proprium sensum declinare. Scopulus ille vitandus est, inquit Isidorus, vbi alter offendit. Pecora ipsa vitare norunt, quæ se læsisse cognoscunt, itinera illa non repetunt, vbi in foueam corruerunt. Tenaces laqueos auis capta declinat, rete auis suspecta non incidit, & omnia quæ possunt habere contraria, facilliter casus assument, si curam salutis propriae non haberent.] Tu proprium iudicium tuum non semel scopulum tibi, & iniuriam, & laqueum esse cognouisti; quæ prudentia erit relicto itinere recto, id est seniorum imperio, ad periculi occasionem repedare?

Deinde in huiusmodi tentationibus, quarum impulsu ad improbandas res iniunctas impelleris, tibi ipsi persuadebis te aliquo immoderato affectu moueri, & passione ad contrarium sensum incitari. Errat oculus, inquit Ambrosius, vbi erat affectus. Affectus ergo deceptio visus.] Vnde quia affectus tuus deprauatus est, & in contrarium inclinatus eius quod tibi præcipitur, ideo illud damnas, non quia in se bonum, & conueniens non sit. Et sicut infirmus de cibi insauitate conqueritur, non quia cibus sit insauis aut malè paratus, sed quia ipse habet malis humoribus organum gustus infectum: ita quia gustum animæ deprauatum habes, desipiunt tibi bene & discretè imperata, ac si in se indiscreta essent, & non in imperfectione tua defectus existeret. Te igitur tamquam insipientem argue, & increpa, tibi ipsi tamquam parituro internum silentium indicito; ne autem ægrotus contra sanum insurgere, & insipientem aduersus sapientem, & maiori luce perfusum ineptis rationibus quasi infirmis armis rebellare. An non legisti: Diis non detrahes, & principi populi tui non maledices?] sed verè hoc est prælato detrahere, & illi maledicere, ipsius mandata ac iussa damnare. Qui enim prælatum contemnit, eius vitam læcetatur, & mores condemnat, videtur personam hominis tangere; atqui eius gubernationem, & ipsius iussa in crimen adducit, personam non hominis, sed principis populi, quia in eius officium iniurius est, videtur lædere atque destruere. His itaque, & alijs similibus te ipsum, cùm prælatum iudicare cœperis, reprehendas, tibi que non indiscretioni illius malum

Pro. 3. 5.

Ambr. ad
Rom. 12.

Isid.

Ambr.
lib. de hono
mortis.

Exod. 17.
28.

ascribas,

ascribas, sic paulatim rationem altiora se præsumptem compescet, & iudicia aduersus imperata insurgentia frænabis.

Postremò, statum tuum ac prælati considera, & hæc meditatio te à iudicio mandatorum eius auerteret. Ille caput est à Deo quidem constitutum, tu verò membrum capiti subiectum, quod secundum rationem rectam à capite debet dirigi ac gubernari. Ille magnam lucem à Domino communicaram habet vt regat; tu modicam, illam scilicet quæ sufficit, vt obedias. Ille non paruum rationum copiam meditatus est, & consilio aliorum adiutus, vt hoc, aut illud præciperet; tu nullam, aut vnã rationem vidisti, vt præcepto eius obliteres. Ille bonum commune ante oculos proposuit, vt ita in gubernatione procederet; tu bonum peculiare tuum, aut non bonum aliquod, sed solum affectum immoderatum intendis, vt oppositum mandati vile iudices. Ille tandem experientia poller; tu inexperientia, & cæcitate non cares. Quare ergo tam superbus eris, & arrogans, vt audeas iudicio, & ratiunculis tuis, prælati iussis repugnare?

Non iudices contra iudicem, ait Ecclesiasticus, quoniam secundum quod iustum est, iudicat. Ne, inquam, causam agas contra prælatum, quam profectò inire decreuisti, quando eius præcepta improbare audes. Ille enim, quod iustum erat, præcepit, ac rationi consonum, vnde Christus iudex omnium, ac iudex huius causæ futurus, te nimis temeritatis arguet, illum verò ab iniuria vindicabit. Temerarius quidem est ille, qui non sibi commissum iudicat. Tibi commissum non est prælatum tuum iudicare, aut eius præcepta discutere. Ne igitur eum iudicando, mandataque eius examinando, in temeritatem, & in penam temeritatis destinatum incurras. Hæc habuimus, quæ ad perfectionem obedientiæ consequendam legentibus proponeremus. Beatus autem Pater noster Ignatius, in illa aurea obedientiæ epistola, tria alia media proposuit ad subiciendum iudicium, quæ consultò præmittimus, ne omnibus peruia proponamus.

Conclusio huius tractationis, ac de amore obedientiæ.

CAPVT XVIII.



D siam iam huius tractationis, ac huius secundi voluminis, Deo ac Domino nostro donante, peruenimus, cuius ope vitæ spiritualis itinera patefecimus, & omnibus piè & religiosè viuentibus, rationem à malo declinandi, & bonum faciendi, monstrauimus. Illud solum superest, vt compendium huius multiplicis viæ inuestigemus (si quod fortè sit possibile reperire) vt illud homines infirma memoria, aut exiguis viribus teneant, & per ipsum quasi per iter tutissimum ad vitæ spiritualis finem, quem in votis habent, scilicet ad perfectionem, ac mentis sanctitatem, perueniant. Vtilissimum namque est, viam regiam, qua itur ad urbem, scire; ac vtilius & amabilius esse solet viam compendiarium agnoscere, si per eam breuius & tutius ad ciuitatem acceditur, & viator à multis laboribus & periculis liberatur. Hoc igitur vitæ spiritualis perfectionisque compendium, est obedientia, qua vna retenta, miro modo vniuersas virtutes possidemus, & cunctas vitæ vias breui conficimus, & ad vitam æternam, ad finem nimirum omnis desiderij nostri, &

A omnis perfectionis festinamus. Serui estis. (verba sunt Pauli) eius cui obeditis, siue peccati ad mortem, siue obedientiæ ad iustitiam. Duos terminos ponit, & duas horum terminorum vias. Termini sunt, mors & iustitia. Licet enim morti sola vita opposita videatur, meritò tamen ei opposuit iustitiam, quoniam non ad mortem corporis, sed animæ, respiciebat, cuius vita non est alia, quàm ipsa gratia atque iustitia. At vitæ mortis & vitæ animæ qua nunc Deo per gratiam viuimus, & postea per gloriam viuemus, sunt peccatum, & obedientia, vt sicut peccatum ad mortem ducit, ita intelligamus obedientiam viam esse, qua ad vitam gratiæ & gloriæ omnes iusti perueniunt. Idque exemplo illius adolescentis monachi mirè obedientis ostenditur, ad cuius sepulchrum, post mortem eius, cum

B (vt Climacus narrat) senior quidam venisset, ad eumque clamans dixisset: Frater Achatii, putasne mortuus es? Respondit vita functus: Et fieri quomodo potest pater, vt moriatur homo obedientiæ deditus? Hic mortem per obedientiam euasit, & per hanc viam semper duraturam vitam inuenit. Eadem quoque nos ad perfectionem, quam ille adeptus est, transibimus, & vitam illam veram & beatam assequemur. Sicut enim per inobedientiam vnus hominis, scilicet primi parentis, peccatores constituti sunt multi, omnes inquam illi, ab eo peccatum originale traxerunt, & inobedientiæ sui parentis participes facti sunt: ita & per vnus obedientiam, nempe Christi, iusti constituti sunt multi, omnes inquam illi, qui per meritum passionis, & mortis eius gratiam & obedientiæ imitationem participarunt. Peccatum itaque via est qua ducit ad mortem, & obedientia via est qua ducit ad vitam. Per peccatum, quod transgressio & inobedientia est, peccator duplicem mortem culpæ & æternæ damnationis incurrit: per obedientiam verò iustus duplicem vitam gratiæ, & gloriæ, & perfectæ gratiæ, ac extremæ gloriæ perfectis paratæ promeretur.

C Si ergo, ô iuste, perfectionem cupis, si eius assequendæ gratiæ hæc nostra scripta legisti, vt ex eis viarum perfectionis notionem desideriumque deciperes, ecce compendiarium viam perfectionis, & tutissimam, & suauissimam, & omnium frequentissimam tibi demonstro. Hæc via compendiarium est, quoniam, vt diximus, omnes virtutes continet. Si diligis Deum, si diligis proximum propter Deum, si Deo debitum cultum exhibes, si ad parentes pietatem, ad maiores obseruantiam, ad æquales affabilitatem habes: si promissa implet, si veritatem in dictis tenes, si misericors, si pater, si mitis, si constans, si sobrius, & castus, & modestus existis, in his omnibus obedientiam custodis. Vnde si hanc tenueris, dum tenueris, non poteris legem transgredi, nec peccatum admittere, nec aliquam virtutem debitam præterire. Quare propositis à Moyse præceptis legis, quæ iustitiæ, & virtutum præcepta sunt, orationem suam sic ille obedientia conclusit. Custodite, & facite, quæ præcepit Dominus Deus vobis: non declinabit neque ad dexteram, nec ad sinistram: sed per viam, quam præcepit dominus Deus vester, ambulabit, vt viuatis, & bene sit vobis. Quid est custodite, & facite, nisi obedite Domino, & præcepta eius non tantum memoria seruetis, sed etiam obedientia possideatis? Et quæ est hæc via, per quam estis ambulaturi? nonne est obedientiæ via, à cuius tramite non est ad dexteram neque ad læuam declinandum, quia declinare, est obedientiam de-

Rom. 6.
16.

Climac.
gradum 4.

Rom. 5.
14.

Deut. 5.
32.33.

serere, & malum inobedientia complecti: Hæc obedientia, est via vitæ, quia per eius functiones & fructus, nunc spiritualiter viuimus, & bonum illud æternum, quo bene sit nobis, & ineffabile, comparamus. Quis ergo iam neget obedientiam, viarum vitæ, id est, omnium virtutum, esse compendium, quam si confecerimus, omnes virtutes exercebimus?

Obedientia insuper via est tutissima, quam qui non dilexerit, qui non operibus prætulit, licet in cælum septies quotidie rapiatur, licet montes fide transferat, & eximia miracula faciat, non securus in cælum vadit, sed certissimè cum ingenti periculo damnationis æternæ in præceps ruit. Meritoque

Dionys.
de prefef
monast.
art. 13.

Iuda.
19.

Euseb. 9.

Dionysius Richelius ait: Qui vult opera sua esse tuta ac recta in conspectu Dei, nihil obedientia præferat, nihil penitus anteponat, siue iunior, siue senior: imo quo senior est, eo ædificationi & perfectioni plus studeat, nullumque sibi faciat finem proficiendi. Non obedientibus conuenit illud Iudæ Apostoli: Hi sunt, qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes. Nam eo ipso quod Deo, & prælati non obediunt, spiritum vitæ non habent, & dum ab aliis fratribus se per inobedientiam segregant, signum vitæ animalis, & carentia vitæ spiritualis important. Omnia detrimenta animæ, inquit Eusebius Emisenus, ex inobedientia vitio oriuntur. Ergo omnis securitas animæ ex obedientia debet procedere, cuius possessori nihil ad securitatem potest deesse. Vita spiritualis quam ratione, & quibus adiumentis secura transigitur? Similibus certè eorum, quæ ad vitam corporalem requiruntur. Huic autem, quæ sufficiunt? An non cibus, vt mortem irruentem repellat; & notitia malorum & bonorum, vt illa fugiat, & ista appetat; & fortitudo, vt mala caueat, & bona conquirit? Sed hæc tria ad vitam spiritualem animæ vna obedientia continentur. Obedientia cibus est, quæ animam multiplici virtutum actione sustentat. Lux est, quia sapiens, & discreta est, quæ malum improbat, & bonum approbat. Fortitudo est, quia patientiam habet adiunctam, qua difficultates præceptorum obseruandorum superat, & animam, cui insedit, ad rectum faciendum impellit. De his tribus, quæ ad vitam spiritualem diximus necessaria, pulcherrimè Bernardus est locutus, proptereaque, vile duximus, eius verba non prætereire. Sic ille ait.

Bernard.
ser. 3. de
Auer.
Iuan. 4.
14.
Eph. 127
2.

Bonus cibus obedientia, de qua nimirum & ipse dominus ait: Meus cibus est vt faciam voluntatem patris mei. Et Propheta: Labores (ait) manuum tuarum, quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit. Bonus cibus patientia pauperum, quæ non peribit in finem, panis lacrymarum, panis doloris. Verumtamen vtrique necessarium est condimentum, sine quo vterque insipidus, non modò non reficiat, sed gustatus afferat mortem. Durissimè equidem cibus vterque frates, & nisi aliquod tertium saporabile opponatur, vtrique mors in olla. Quid verò tam saporabile, quam sapientia? Nempe lignum vitæ est, quod & ipsas aquas Marath, per Moysem dulcosauit. Farinula est, quæ pulmentum Prophetarum per Helisæum saporauit. Oleum est ob cuius inopiam virginibus fatuis ostium clauditur nuptiarum. Sal est, quod nulli sacrificio deesse iubetur. Inde est quod insulos homines dicimus, quos intelligi volumus minime sapientes. Et Dominus sal in nobis præcipit haberi. Apostolus quoque omnem nostrum sermonem sale monet esse conditum. Puto tamen hanc ipsam, quam obedientia, & patientia tertiam addi volumus

A sapientiam, nihilominus triplicem inueniri, vt nostrum hoc condimentum velut tribus quibusdam herbis conficiatur. Opus est, vt iustitia sit in intentione, habitas in operatione, humilitas in reputatione. Inspida namque Deo, & insulsa quodammodo nostra obedientia, seu etiam patientia est, nisi omnium, quæ vel agimus, vel patimur, ipse sit causa: quia & quidquid facimus, nubemur tacere in gloriam Dei. Et non si quid patimur, sed si quid propter iustitiam patimur, beati. Oportet autem pusillanimitatem quoque, & tristitiam in omnibus, quæ agenda sunt, vel toleranda; cauere: quia hilarem datorem diligit Deus. Denique hilaritas ipsa, & bona voluntas, ad eam, quam supra diximus, preparationem, specialiter noscitur pertinere. Porro elationem super omnia fugere necesse est. Quisquis enim altum sapit, & opus eius, & patientia vanum sapit: nec grauior vllus sapor, aut magis contrarium est veritati, hæcenus Bernardus.] Tuta est igitur obedientia via, quia cibum salutarem, patientiam fortem, & sapientiam hanc deorsum descendentem reperit quisquis per eam perseveranter incedit.

B Competit quoque obedientia vt via sit plena suauitatis. Nam verè qui eam ingrediuntur, quasi in lectica in cælum eunt. Qui in theda aut lectica iter faciunt, omnibus notum est, quantis molestiis iuneris liberentur. Neque Solis ardoribus æstuant, nec hiemis frigore rigent, nec niue, aut grandine feriuntur, nec pluuia madefiunt. Ita veri obedientes in lectica sanctæ obedientia vecli à mille tentationum actibus, & à multis animæ periculis liberantur. Sol indiscreti feruoris eos non vrit, quem nubes obedientia temperat; nix ignaia & tepiditatis non impedit, quam indumentum obedientia areet; pluuia molestiarum non tingit, quia illos obedientia tegumentum cooperit. Hæc via sanctæ subiectionis plana est, anfractibus ac præcipitiis exempta. De qua Salomon ait: Via iustorum absque offendiculo: Nam licet in ea aliquod molestia se offerat, spe retributionis euanescit. Iusti quippe, vt Gregorius ait, in conuersatione sua quilibet eis aduersitatis obuiantur, non impingunt, quia temporalis aduersitatis obstacula æternæ spei, & internæ contemplationis saltu transiliunt. Hanc viam fructuosæ arbores, & proceræ, & flores, & rosæ, & violæ vndique cingunt, & riuus aquarum saluberrimarum rigant, quia cor perfecti obedientis fructus virtutum reficiunt, angelorum excubiæ protegent, sanctæ cogitationes & desideria florere faciunt, & fluenta gratiarum irrigationi deseruiunt. De qua profecò illud Isaia intelligi potest, quod ad litteram de ipso authore huius viæ, scilicet de Christo, qui dixit: Ego sum via, scriptum est. In cubilibus, id est, in cordibus peccatorum, in quibus prius dracones multarum transgressionum habitabant, oriatur vitior calami, & iunci, nimirum multiplicis virtutis pulchritudo. Et erit ibi obedientia semita, & via, Semita, quia eius suauitas non omnibus nota est: & via, quoniam per se satis lata & aperta est. Hæc via sancta vocabitur, nam & opera sanctitatis docet, & ad sanctitatem ducit. Non transibit per eam pollutus, quoniam eo ipso, quod aliquis se peccato polluat, à tramite debita subiectionis exorbitat. Et hæc erit vobis directa via, nam sine ambagibus in perfectionem tendit, & ita certa est, vt nec stulti errent per eam. Non erit ibi lect, &

Prout.
15. 19.

Greg. 10.
mor. 13.

Iuan. 14.
6.

Isaia 35.
7.

mala

mala alicuius vitij bestia non ascendet per eam, nec inuenietur ibi. Et qui liberati fuerint à miseris sæculi, ambulabunt per eam. Quis ergo per hanc viam non iucundè gradiatur? Certè subditi si ex animo obediunt, vt hæc virtus requirit, alacres & exultantes incedunt, adeo vt quisque eorum dicat: Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.] Habet enim conscientiam attestantem sibi, quia cum parer, in domum æternam Domini propètat, vbi in æternum exultet. Quin & hæc obedientiæ læticia ad ipsos prælatos extenditur. Idèoque monet Paulus vt obediamus præpositis nostris, rationem pro animabus nostris reddituris. Additque vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes: hoc enim non expedit nobis. Planè non expedit, quia languor capitis in corpus redundat, & dum prælati nostri, ex nostra inobedientia tristantur, non possumus non ex eorum tristitia contristari, & seueritatem disciplinæ sentire. Obedientia igitur nos lætificat, & prælatum adiuuat, & læticia perfundit. Tunc enim adiuuatur, vt Laurentius Iustinianus ait, tunc ipse participatur labor, tunc lætus effectus pondus non sentit, cum prompto obeditur affectu. Coacta namque seruitia fastidioso suscipiuntur animo. Quæ verò alacri mente, placido vultu, & volenti exhibentur corde, lætificat præipientem. Quanta putas erit læticia illius domus, in qua prælatus in Domino gaudet, & subditus in eodem Domino vehementer exultat?

Illud præterea ad hanc sanctam obedientiam ingrediendam mouet, quodd frequentissima est, & omnes qui rectè sapiunt, intrant per eam. Hanc nouem Angelorum ordines perfectè conficiunt. Nam, vt ait Paulus: Omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.] Et Dauid ad Dominum: Qui facis Angelos tuos spiritus, id est celeres in obediendo, & ministros tuos, id est efficaces in ministrando, [vt ignem vrentem.] Hanc viam omnes iusti ingrediuntur, nec qui iusti sunt possunt eam deserere. Tenebit enim iustus viam suam.] Et lex Dei eius in corde ipsius.] Et opus iusti ad vitam.] Et si vit. fecerit iudicium, & iustitiam,] & in præceptis meis ambulauerit, & iudicia mea custodierit, vt faciat veritatem, hic iustus est.] Quid moror? Ab hac obedientia via creaturæ rationis & sensus expertes, nec ad momentum discedunt. Quod gratum est ex verbis Sanctissimi Brunonis, & illustrissimi Carthusiensium Patriarchæ intelligere. Sic ille ait: Quid igitur dicent monachi inobedientes, & suas voluntates facientes, ac per hoc Deo non placentes cum tota monachorum religio obedientia sit? Cum viderint non solum rationales creaturas, sicut Angelos, & homines, verum etiam, quæ sensu & ratione carent, iubentis Domini obedire voluntati? Inde est enim quodd cæli enarrant gloriam Dei. Inde est quodd venti, & mare obediunt ei. Inde est quodd terra nostra dedit fructum suum: Inde est quodd omne lignum dat fructum in tempore suo. Denique quodd virga in serpentem, & aqua mutatur in sanguinem: quodd marera aperitur, quodd petra fundit aquas, quodd manna pluit: quia ašina loquitur: quodd Iordanis conuertitur retrosum: quodd, iubente homine, sol non mouetur: Totum hoc obedientia facit: sunt & alia huiusmodi innumerabilia, quæ in diuinis voluminibus inueniri & colligi possunt. Præsertim, quod noui testamenti paginas legerit; ibi cognoscat quantum obedientia possit: vbi videbit ad hominis imperium

daemonia fugere, mortuos resurgere, elementa mutari, leprosos mundari, cæcos illuminari, paralyticos curari. Sed quid multa? Ibi videbit nihil rerum posse, nec naturam contra illius voluntatem qui creauit ipsam naturam. Sed o miseria semper lugenda, & magis lacrymis quàm verbis semper exponenda: Omnis creatura est obediens Deo præter illam, quæ facta est ad imaginem Dei. Solus Diabolus, & homo inobediens inuenitur, cum nulla alia creatura inobediens inueniatur. Huc vsque ille.] Et quidem si inimicitias cum Diabolo gerimus, non consentiamus ei, neque eius inobedientiam & pernicitiam imitemur. Sit nobis exosa illa via, quam soli iniqui & perditici ambulant; (& hæc non est alia quàm via inobedientiæ) illam verò omnibus mentis conatibus ambulemus, quam Angeli & iusti, & creaturæ sine sensu, aut ratione à Deo doctæ frequentant. Stultum enim esset, gressus insipientium sequi, quorum finis tenebræ, & vae, & à vestigijs sapientum deuiare.

Sapiens pigrum, vt sapientiam disceret, ad formicam mittit; ego verò religiosæ vitæ sectatores ad seruos sæcularium mitto aliquod præmium expectantes, vt ex illis obedientiæ promptitudinem & perfectionem addiscant. Certè Paulus seruis imperat, vt suis dominis & heris obediunt. Quicumque, inquit, sunt subiugo serui, Dominos suos omni honore dignos arbitrentur. Quo loco Chrysostomus pulchrè (vt solet) fideles exemplo seruorum ad obedientiam Deo in prælati præstandam inuitat. Ita ille scribit: Si autem seruis ita imperat obedire dominis, intruemini quo nos animo in Dominum nostrum esse conuenit, qui nos de nihilo vt essemus effecit, qui nutrit, qui vestit. Et si ergo non aliter, saltè vt famuli nobis nostri, ita illi seruiamus. Nonne vitam illi omnè in hoc exponunt, vt nobis requiem parent? Hoc illis opus est, istud studium, vt dominos curent. Nõne illi, quæ domini sunt, tota die curant, sua verò diei vix exigua parte? Contra verò nos, nostra quidem semper, quæ verò sunt Domini, neque minima curamus temporis parte, istudq; cum ille obsequijs non eget nostris, sicuti domini famulorum, sed hæc omnia nostris comodis cedant. Illic enim ministeriũ famuli domino prodest, hic autè serui obsequiũ domino nihil, seruo autem plurimum confert. Bonoru enim, inquit, meorum nõ eges. Dic enim, quæso, si ego iustus sum, Deus quid inde lucratur? Quid perdet, si fuero iniustus? Nonne immortalis illa natura est? Nonne inuiolabilis, & omni superior labe? Serui nihil habet propriũ, sed omnia domini sunt, quæ tum libet illi diuites fiat: nos plurima habemus propria. Neque absq; ratione à rege omniũ tantũ honoris accepimus. Quis vnquã dominus pro seruo filiũ tradidit suum? Nullus certè, sed omnes pro filiis seruos eligent. Contra, hic proprio filio non pepercit; sed pro nobis omnibus tradidit illũ, pro omnibus inimicis odientibus se. Serui si grauius illis quædam imperentur, ne sic quidem indignantur, maximè si grati illi sunt: nos autem grauius plurima ferimus. Seruis dominus nihil tale promittit, quale nobis Deus. Sed quid? libertatem præsentem, omni sæpe seruitute curiorem. Sæpe enim vbi fames inualuit, libertas hæc omni seruitute acerbior fuit, idque pro summo munere habetur. Apud Deum verò mortale nihil, nihil corruptibile est: sed quid? Non vos, inquit, dicam seruos, vos amici mei estis. Erubescamus, dilectissimi, atque timeamus, si vt nobis famuli seruiunt, ita nos Domino seruire studeamus, immo nos ne minimam quidem partem seruitutis ostendimus.] Hæc est ille.

Hæc similitudo seruorum nos ad obediendum

A] daemonia fugere, mortuos resurgere, elementa mutari, leprosos mundari, cæcos illuminari, paralyticos curari. Sed quid multa? Ibi videbit nihil rerum posse, nec naturam contra illius voluntatem qui creauit ipsam naturam. Sed o miseria semper lugenda, & magis lacrymis quàm verbis semper exponenda: Omnis creatura est obediens Deo præter illam, quæ facta est ad imaginem Dei. Solus Diabolus, & homo inobediens inuenitur, cum nulla alia creatura inobediens inueniatur. Huc vsque ille.] Et quidem si inimicitias cum Diabolo gerimus, non consentiamus ei, neque eius inobedientiam & pernicitiam imitemur. Sit nobis exosa illa via, quam soli iniqui & perditici ambulant; (& hæc non est alia quàm via inobedientiæ) illam verò omnibus mentis conatibus ambulemus, quam Angeli & iusti, & creaturæ sine sensu, aut ratione à Deo doctæ frequentant. Stultum enim esset, gressus insipientium sequi, quorum finis tenebræ, & vae, & à vestigijs sapientum deuiare.

Sapiens pigrum, vt sapientiam disceret, ad formicam mittit; ego verò religiosæ vitæ sectatores ad seruos sæcularium mitto aliquod præmium expectantes, vt ex illis obedientiæ promptitudinem & perfectionem addiscant. Certè Paulus seruis imperat, vt suis dominis & heris obediunt. Quicumque, inquit, sunt subiugo serui, Dominos suos omni honore dignos arbitrentur. Quo loco Chrysostomus pulchrè (vt solet) fideles exemplo seruorum ad obedientiam Deo in prælati præstandam inuitat. Ita ille scribit: Si autem seruis ita imperat obedire dominis, intruemini quo nos animo in Dominum nostrum esse conuenit, qui nos de nihilo vt essemus effecit, qui nutrit, qui vestit. Et si ergo non aliter, saltè vt famuli nobis nostri, ita illi seruiamus. Nonne vitam illi omnè in hoc exponunt, vt nobis requiem parent? Hoc illis opus est, istud studium, vt dominos curent. Nõne illi, quæ domini sunt, tota die curant, sua verò diei vix exigua parte? Contra verò nos, nostra quidem semper, quæ verò sunt Domini, neque minima curamus temporis parte, istudq; cum ille obsequijs non eget nostris, sicuti domini famulorum, sed hæc omnia nostris comodis cedant. Illic enim ministeriũ famuli domino prodest, hic autè serui obsequiũ domino nihil, seruo autem plurimum confert. Bonoru enim, inquit, meorum nõ eges. Dic enim, quæso, si ego iustus sum, Deus quid inde lucratur? Quid perdet, si fuero iniustus? Nonne immortalis illa natura est? Nonne inuiolabilis, & omni superior labe? Serui nihil habet propriũ, sed omnia domini sunt, quæ tum libet illi diuites fiat: nos plurima habemus propria. Neque absq; ratione à rege omniũ tantũ honoris accepimus. Quis vnquã dominus pro seruo filiũ tradidit suum? Nullus certè, sed omnes pro filiis seruos eligent. Contra, hic proprio filio non pepercit; sed pro nobis omnibus tradidit illũ, pro omnibus inimicis odientibus se. Serui si grauius illis quædam imperentur, ne sic quidem indignantur, maximè si grati illi sunt: nos autem grauius plurima ferimus. Seruis dominus nihil tale promittit, quale nobis Deus. Sed quid? libertatem præsentem, omni sæpe seruitute curiorem. Sæpe enim vbi fames inualuit, libertas hæc omni seruitute acerbior fuit, idque pro summo munere habetur. Apud Deum verò mortale nihil, nihil corruptibile est: sed quid? Non vos, inquit, dicam seruos, vos amici mei estis. Erubescamus, dilectissimi, atque timeamus, si vt nobis famuli seruiunt, ita nos Domino seruire studeamus, immo nos ne minimam quidem partem seruitutis ostendimus.] Hæc est ille.

Hæc similitudo seruorum nos ad obediendum

Hæc similitudo seruorum nos ad obediendum

Hæc similitudo seruorum nos ad obediendum

Pf. 121.1.

Hebr. 13. 17.

Iustin. de disciplin. mon. c. 7.

Hebr. 1. 14.

Pf. 103. 4.

Iob. 17. 9. Pf. 36. 31. Psal. 10. 16. Exechiel 18. 5. 9.

Bruno. de orna. Eccl. c. 10.

1. Tim. 6. 1.

Chrysol. hom. 16.

Rom. 8.

Ioan. 15.



instimulet. Licet enim Dominus nos in filios charissimos adoptauerit, & in filios dilectissimos elegerit, tamen natura serui eius sumus, ac vilia mancipia. Ipse mille titulis, immo & infinitis est herus noster: praelatus vero est oconomus eius, quasi rerum eius dispensator, & voluntatis illius propalator; seruus malus, & piger, & infidelis erit ille, qui propter reuerentiam heri, huic etiam obedientiam non praestat. Indignabitur Dominus aduersus huiusmodi hominem, & eum non sine debita animaduersione relinquet. Conuersus ad praelatum, ut eum de peruicacia inobedientium consoletur, dicit illi: Non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos. Et va illis, qui de rege suo dicunt: Nolumus hunc regnare super nos; & aduersario suo, scilicet propriae voluntari, se stultum, & ad suam perditionem subiciunt. Ad inobedientes vero exprobrans illis duritiam suam, dicit, quod per Hieremiam affatus est ad filios Israel. Praeuertunt sermones Ionadab, quos praecipit filiis suis, ut non biberent vinum, & non biberunt vsque ad diem hanc, quia obedierunt praecipio patris sui: ego autem locutus sum ad vos de mane confurgens, & loquens, & non obedistis mihi. Misique ad vos omnes seruos meos prophetas; neque audistis me. Loquitur ad nos Dominus cum secreta inspiratione tangit, & ad obediendum mouet. Loquitur per seruos suos, cum per praelatos aliquid iubet. Probosum erit nobis, si filij carnalibus patribus suis obediam, nos vero patri nostro, qui solus verus est pater, non obediamus, & voluntatem suam per praelatos expositam implere detretemus.

Hac igitur sit summa omnium, quae hactenus dicta sunt, (summa breuis, & paucis verbis multa complectens) ut obedientiam ad Deum, & ad homines nobis praepositos addiscamus; & nihil omnino eorum, quae desiderari possunt, praetermitteremus. Paulus dixit: Qui proximum diligit, legem impleuit; & plenitudo legis est dilectio. Ego autem audeo, & dico: Qui Deo, & praelatis suis obediens fuerit, legem impleuit, & plenitudo legis obedientia est. Et (ut verum fatear) non multum audeo, quoniam spiritus Sanctus per os alterius sapientis hoc etiam dixit. Nam scriptum est: Finem loquendi pariter omnes audiamus. Deum time, & mandata eius obserua; hoc est omnis homo. Hic sit finis sermonis nostri, quem toto hoc volumine late satis exposuimus. Hac etiam sit summa omnis doctrinae, quam de malo fugiendo, & exterminando, & bono faciendo, & promouendo, tradidimus, ut scilicet Deum timentes, & diligentes, eius ac praelatorum

A mandata (quae sine dubio mandata sunt Dei) diligenter custodiamus. Hoc enim est omnis homo. Nam (ut Augustinus ait) quicumque est hoc, est custos vtriusque mandatorum Dei; quoniam qui hoc non est, nihil est. Non enim ad veritatis imaginem reformatur, remanens in similitudine vanitatis. Hoc est omnis homo, totus scilicet, integer, & perfectus homo, nam qui ex parte tantum mandata seruauerit, obedientiamque tenuerit, ex ea parte qua aliquid boni facit, incipiens est, at perfectus, & virtute consummatus non est. Hoc est omnis homo, quoniam hoc solum ab homine exigitur, & huius rei gratia conditus est, ut Deum timeat, & diligit, & eius mandatis obediat, & per haec vitam beatam acquirat. Hoc est omnis homo, quia vna obedientia quaequid sibi iniunctum est, optime cumulateque perficit. Verus obediens etiam in infimo gradu sit obedientiae, peccata grauius non aliter quam mortem ipsam, & gehennam, immo multo magis fugiet. Verus obediens peccata leuia, (nam & ipsa transgressiones sunt) pro sua possibilitate vitabit. Verus obediens vitiiis & prauis moribus suis bellum inferet, & ea nitetur extingueret. Verus obediens mundum infestantem contemnet, diabolum suadentem reiciet, carnem blandientem ridebit, & omnes tentationes superabit. Verus obediens sensibus suis frantum mortificationis imponet, & passionibus ac affectibus cohibebit. Verus obediens pro omnibus virtutibus laborabit, & humilitatem, paupertatem, castitatem, & reliquas comparare gestiet. Obedientia igitur est omnis homo, & omnium eorum, quae ad vitam spiritualem requiruntur, facile breueque compendium.

C Ecce, lector optime, primo lucubrationum mearum volumine tibi naturam, & dignitatem, & instrumenta generalia perfectionis vitae spiritualis exposui: Ecce hoc secundo volumine vitam spirituales in actione positam, quae malum vitat, & bonum sequitur, declarauit. Si haec feceris, & non osecitanter exercueris, satis paratus eris, ut vitae contemplatiuae particeps fias, & secreta orationis, quae tertio volumine (faciente Domino) sumus explicaturi, intellectu comprehendas, & experimento concipias, & ad perfectionem, quam elegisti, nondum tamen acquisuisti, celeri gradu peruenias, & perfectus factus animas Deo lucrari possis, aut doctrinae verbo, aut salutem sanctae conuersationis exemplo: Praestante Domino nostro Iesu Christo, cui cum Patre, & Spiritu sancto sit honor, imperium, & gloria sempiterna. AMEN.

Aug. 20. de ciuit. c. 8.

1. Reg. 8. 7.

1. Reg. 14. 15.

Rom. 13. 10.

Ecl. 12. 13.

